

ACADEMIAE MOSCOVIENSIS ELISABETANAE  
LOMONOSOVIANAE  
SCHOLA GRAMMATICORVM

**DE VTRIVSQUE LINGVAE GRAMMATICA ET  
QVATENVS ILLA CVM OMNIVM GENTIVM  
LITTERIS ARTIBVSQUE CONIVNCTA SIT**

**Conuentus IX a. MMXVI**

**De linguae Latinae aetate recenti studiis**

Acroases in memoriam Helgi Nikitinski Moscuensis

MOSCOVIAE — MMXVI

МОСКОВСКИЙ ГОСУДАРСТВЕННЫЙ УНИВЕРСИТЕТ  
имени М. В. ЛОМОНОСОВА  
Филологический факультет

**КЛАССИЧЕСКАЯ ФИЛОЛОГИЯ  
В КОНТЕКСТЕ МИРОВОЙ КУЛЬТУРЫ — IX**

**Новолатинская традиция в Европе**

Материалы международной конференции, посвященной памяти  
Олега Дмитриевича Никитинского

Москва — 2016

Издание осуществлено при финансовой поддержке  
Института классической филологии и библеистики

Печатается по постановлению  
Редакционно-издательского совета филологического факультета  
МГУ имени М.В. Ломоносова

**Рецензенты:**

- А.В. Подосинов* — доктор исторических наук, главный научный сотрудник  
Института всеобщей истории РАН, профессор, заведующий кафедрой  
древних языков исторического факультета МГУ имени М.В. Ломоносова;  
*А.Е. Кузнецов* — доктор филологических наук, доцент кафедры классической  
филологии филологического факультета МГУ имени М.В. Ломоносова.

**Ответственный редактор:**

- А.И. Солопов* — доктор филологических наук, профессор, заведующий  
кафедрой классической филологии филологического факультета  
МГУ имени М.В. Ломоносова

К47

**Классическая филология в контексте мировой культуры — IX. Новолатинская традиция в Европе.** Материалы международной конференции, посвященной памяти Олега Дмитриевича Никитинского / Отв. ред. А.И. Солопов. — М.: Р.Валент, 2016. — 148 с.  
ISBN 978-5-93439-522-4

Настоящий сборник содержит материалы международной конференции «Классическая филология в контексте мировой культуры — IX. Новолатинская традиция в Европе», посвященной памяти выдающегося ученого и блестящего латиниста О.Д. Никитинского. Конференция стала первым в новейшей истории России конгрессом, проводившимся на латинском языке. Статьи и материалы, вошедшие в сборник, составляют три раздела: *Commentationes* (статьи), *Litterae Latinae Rutenorum* (собрание новолатинских произведений, написанных в России в XVIII—XXI вв.), *Helgi Nikitinski scripta* (неопубликованные работы О.Д. Никитинского и указатель его научных трудов).

Издание предназначено как для специалистов-филологов, так и для всех интересующихся латинским языком и античной культурой. Может быть использовано в качестве учебного пособия для учащихся средних и высших учебных заведений.

ISBN 978-5-93439-522-4

© Коллектив авторов, 2016 г.

© Оригинал-макет издательство «Р.Валент», 2016 г.

## De Helgi Nikitinski morte praematura

Helgo Callimachus, liber Helgi Callimacheus  
Mi placet: hinc natum est foedus amicitiae.  
Saepe Latinorum recitavimus aurea dicta,  
Rossica Musa frequens nostra per ora volat. 5  
Saepe in colloquiis patriae testaris amorem,  
Ut matrem sancta quam pietate colis.  
Aeque sermonem patrium veneratur uterque  
(Nonne haec exsulibus patria sola manet?).  
Tuque "sine Europa nil Rossia" dicis, egoque 10  
Aio: "Quid Europa est, Rossia donec abest?"  
Dicta fides sequitur: pontem facis ipse. Docentem  
Teque Monasterium sanctaque Mosqua colit.  
Ipsi pontifici Benedicto, lingua Latina  
Cui fuerat cordi, factus amicus eras. 15  
Ante diem revocant a terris numina caros  
Laetitia aeterna condecorantque suos.  
Quid restat nobis in paupertate relictis?  
Tristitiamne rudem barbariemve pati?  
Magna dedit Deus haec nobis exempla: sequamur! 20  
Artes nec pudeat perdidicisse bonas.

*Scriptis Michael de Albrecht Professor Heidelbergensis*



*Catharinae Antonetz Valdemari f.*

## **De huius uoluminis ratione et indole**

Conuentum, quem Moscouiae in Academia Moscouiensi a. d. VII Id. Dec. habuimus et memoriae luctuosissime defuncti collegae nostri Helgi Nikitinski, hominis cum animo tum ingenio excellentis, philologi eruditissimi et praeclarissimi, uiri doctissimi, litterarum Latinarum et Graecarum peritissimi, dedicauius, Latina lingua habendum esse duximus.

Primus igitur factus est huiuscemodi conuentus Latinus in Rutenia recenti aetate, ad quem totius orbis terrarum collegas nostros, qui se ad studia Humanitatis contulerunt, inuitauimus.

Ad memoriam Helgi Nikitinski apud omnes populos celebrandam et ad acroases huius conuentus in aspectum lucemque proferendas hoc uolumen edidimus, quod in tres partes diuisum est, quarum una commentationes continet, ab Helgi collegis, amicis, discipulis scriptas, altera exempla litterarum Latinarum a Rutenis praeclaris saeculorum a XVII ad XXI composita praebet, tertia autem Helgi scripta nonnulla adhuc inedita indicemque operum eius habet.

Volumini epigramma Michaelis de Albrecht Heidelbergensis, quo, quidquid sequitur, Helgi nostri memoriae consecratur, praemissum est.

Commentationes ad res uarias pertinent, qui autem eas scripserunt, de uocabulis Latinis philosophicis, athleticis, nauticis disputant (ut Ioannes Timotheus Sergii f., Eva Ianzina Vencesclai f. Helgus Cornelius Valentini f., Helga Paulina Sergii f. Georgius Sacouius Alexandri f.), de lingua Latina apud Rutenos colenda tractant (ut Alexius Haliaeetus Eugenii f., Alexius Philtrius Inguari f., Alexius Scatebranus Rutenus), de emendationibus quibusdam scriptorum Latinorum suas sententias proponunt (ut Michael Shumilin), de litteris Latinis et Graecis antiquitatis et medii aevi luculentissimas disputationes proferunt (ut Catharina Nouia Moscouiensis, Iosua Klein Sarauipontanus, Maurus

Augustus Vaticanus) atque Helgi Nikitinski uitam, ingenium, laudesque illustrant (ut Terentius Tunberg Lexintoniensis).

Pars altera huius uoluminis opera Latina cum Michaelis Lomonosouii ingenii eximii magnaue doctrinae uiri atque Academiae Moscouiensis conditoris, tum Stephani Javorscii, Gregorii Scovorodae, Stanislai Czerski uirorum doctorum saeculorum XVIII et XIX continet. Praeterea interpretamenta nonnulla et carmina adhuc inedita Tatianae Basilianae, alumnae Vtriusque linguae grammaticorum stationis Academiae Moscouiensis et collegae, nobis anno MMII praemature raptae, addita sunt. Carmen Valdemari Lusciniani in Latinum ab Andrea Rossio translatum et Hymnus de Antiquitate infima ab Hegumeno Dionysio (Scleno) Rutenice compositus et in Latinum translatus hanc partem concludunt.

In tertia denique parte continentur epistula Iacobi Facciolati uiri clarissimi saeculi XVII exeuntis, XVIII ineuntis primum cum commento Helgi Nikitinski edita et ratio scholarum ad neolatinas litteras pertinentium, quas Helgus in Academia Moscouiensi habuit habiturusque erat, nisi mors tristissima fecisset, ut hoc consilium nequiquam esset. In fine uoluminis positus est index operum Helgi Nikitinski a discipulo eius, alumno scholae grammaticorum Academiae Moscouiensis Elia Charitonio diligentissime accuratissimeque collectus.

Hoc uolumen, quo amicitiam Helgi et studium optimarum artium testati sumus, in usum omnium Latinitati atque Humanitati fauentium et omnium, qui linguam Latinam discunt coluntque, destinauimus.

# **I. COMMENTATIONES**





*Mauri Augusti (Agosto)*

## **Quam ample iuris prudentia et civilis scientia auctae sint altercationibus de paupertate franciscanorum saec. XIII et XIV<sup>1</sup>**

Propositum est in hac commentatione delineare, quomodo saeculis XIII et XIV, propter altercationes de paupertate Franciscanorum, iuris prudentiam et civilis scientiae cultum, de reipublicae Ecclesiaeque necessitudine contendentes, doctores illius aetatis perpoliverint et consummaverint. Satis enim constat, huius dogmaticae conquisitionis, utrum Christus apostolique bona in proprio communiterve possederint, partem haud angustam redundasse in forum et civitatem, ob contentionem de imperio Pontificum in Ecclesia, cui, propter molem agitati propositi, quin admiscerent se facere non potuerunt non modo theologi, verum etiam sapientes iurisque periti.<sup>2</sup>

### **Quibus momentis floruerit conquisitio**

Totius quaestionis velut solum et quasi fundamentum in *Regula*<sup>3</sup> collocatum cernimus, quam anno 1223 Honorius h.n. Pontifex III sanxit, atque in *Testamento*, quod divus Franciscus anno 1226 confecit.

---

<sup>1</sup> Ne quis miretur, quam ob rem in memoriam Helgi Nikitinski hanc mihi operam sumpserim, ut de scriptoribus ad optimam Latinitatem parum aut nihil pertinentibus agerem, paucis eloquar. Haud semel factum est, ut Neapoli in Italia cum Helgo ambulationem conficientes, cum aliquem locum ab omni turba vacuum invenissemus, amabili sermone colloqueremur de vita beata, quae nobis idem sentientibus tota in contemplatione et cognitione rerum posita videbatur. Cum autem dixissem e scriptoribus de iure canonico veteribus (quibus iam multos insudo annos) non nihil profectum esse, quod sedulum sapientiae indagatorem delectare posset, me rogavit ille, ut aliquid exhiberem, ex quo faceret coniecturam, quid talia scripta valerent. Defuit tunc otium, erepta in perpetuum est dein occasio. Ita animum induxi, ut quod repromiseram, nunc redderem. In votis est, ne, dum huic obsequor, lectoris molestus sim.

<sup>2</sup> Cf.: Shogimen T. The Relationship between Theology and Canon Law: Another Context of Political Thought in the Early Fourteenth Century *Journal of the History of Ideas // Journal of the History of Ideas*. 60/3. 1999. P. 417–431.

<sup>3</sup> *Regulae et Testamenti textus perutiliter collectos et adnotationibus instructos* vide ap.: Bommarco A. V., O. F. M. C. Una nuova forma di vita comunitaria: la Regula Fratrum Minorum / Calabrese F. (acc.) I Monasteri. Centri di rinascita culturale e di sviluppo economico. Aquileia, 2007. P. 55–72 (Studi del CLE 1). Omnia documenta ad Ordinem Seraphicum pertinentia cf. ap.: Eubel K. (ed.) *Bullarium Franciscanum*. Romae, 1898–

Utraque enim lege sodalibus Ordinis interdictum erat, ne rerum dominium adepti (suo nomine alienove, in proprio communiterve) possiderent aut pecuniam acciperent tangerentve. Incipiente iam saec. XIII acriter certari coeptum est de paupertate neque ante quintum decennium saec. XIV desitum est disputari de finibus abdicationis divitiis abrenuntiantium propter regnum caelorum. Duae factiones enim iam inde a principio fuerunt eorum, qui duce Francisco versari in imitatione Christi atque in ea se excellentius gerere studuerunt; quibus ex factionibus alteri *Spirituales*, alteri *Conventuales* et haberi et esse voluerunt. Qui, fortasse fratre Leone auctore, severa disciplina Regulam Seraphici Patris atque Testamentum servari volebant, *ad litteram et sine glossa*, Spirituales, qui autem instituta contendebant esse aptanda ad naturam ingentis Ordinis, cui saepius in dies Pontifices magna onera conferrent (ut Evangelium nuntiarent, in Studiis docerent, in partibus *infidelium* Iesum praedicarent, in regenda Ecclesia operam darent, etc.), Conventuales habebantur, utpote qui fratrem Heliam colerent, amplissimo Conventui Assisiensi erigendo adlaborantem.

Post obitum divi Francisci (1226), cum super *Regulae Bullatae* (1223) capite sexto («*fratres nihil sibi approprient: nec domum nec locum nec aliquam rem*», *Regula Bullata* c. 6) ad mentem iuris exponendo varia et inconstans esset opinio, Romani Pontifices haud semel paupertatem, quam Ordinis primus parens exemplo Christi apostolorumque formaverat, de iure definiendam et illustrandam susceperant (Bullis, Epistulis Apostolicis, privilegiis etc.), utraque saepe parte instante atque petente, severiorem nempe legis observantiam mitioremve suadentium.<sup>4</sup>

Spiritualibus, iam enim constat, maxima ex parte ardorem addidit doctrina, quam Ioachim Florensis exeunte saeculo superiore docuerat de venturo religiosorum Ordine, cui tutanda ac protegenda committeretur tertia mundi Aetas Spiritui addicta. Si credimus Chronicis a Salimbene de Adam conscriptis<sup>5</sup>, sodales Ordinis beati Francisci primum annis 1243—1244 Abbatis Florensis verba cognovissent, cum opera illius monachus

1908. Indicem editionum *Regulae* cf. ap.: Elizondo F. Pontificiae interpretationes *Regulae franciscanae* usque ad annum 1517 // Laurentianum. 1. 1960. P. 338.

<sup>4</sup> Brezzi P. *La civiltà del Medioevo europeo*. Roma, 1978. III. P. 243–253. Adverte, lector: in libris memorandis locum editionis non Latine, sed suo sermone rettuli.

<sup>5</sup> *Monumenta Germaniae Historica*. SS. XXII. P. 236.

quidam Lucā Pisas in coenobium franciscanorum transtulisset, ne forte a militibus Friderici II diriperentur. At *Chronicorum* errorem facile coarguimus, siquidem iam illos ante annos in lucem prodierant opuscula franciscanorum *Super Ieremiam*, *Expositio in Isaiam*, *De oneribus Isaiæ*, quae inscribuntur, quae, dum multa hausta e Ioachim operibus habent, nonnulla vaticinia adversus Fridericum II proferunt.<sup>6</sup>

Postquam ipsam Ordinis vitam in discrimen commiserat Gherardus de Burgo S. Donnini, qui anno 1255 librum ederat *Introductorium in Evangelium aeternum*, ut demonstraret, in locum Evangelii iam esse substituta tria scripta Ioachim Abbatis (quae *Concordia Veteris et Novi Testamenti*, *Expositio in Apocalypsim*, *Psalterium decem chordarum* inscribuntur), cum professores Parisienses vehementer indignantes, facta seditione non minima, adversus illum acerrime restitissent, Bonaventura Ordinis antistite semel facto (1257), praesentia satis consederunt.<sup>7</sup> Paucis enim ante annis (1254) bis egerat (*de paupertate Christi; Apologia*) Bonaventura de more eorum, qui sine proprio vivere instituissent. Is igitur, subtilissima collectione disputando contra Guillelmum Sancti Amoris, qui libro, quem *De periculis novissimorum temporum* conscripserat, Gherardi *Evangelium aeternum* pertinacissime oppugnaverat, non modo Alexandro IV Pontifici Maximo persuasit, ut magistrum illum damnaret (1256), sed plurimum addidit paupertatis notioni circumscribendae, cum, exquisitissima doctrina, rationem cum rebus agendi eorum, qui solum dominium abiciebant (singulare communeve, de more Dominicanorum<sup>8</sup>), in habitum de omne genus iure in rebus decedentium deflexisset.<sup>9</sup>

<sup>6</sup> Plura vide sis apud : Russo P. Fr., M. S. C. I Francescani Minori Conventuali in Calabria (1217—1982). Catanzaro, 1982. P. 51, unde dilucide apparet, etiam alios multoque clariores Minorum Ordinis sodales, ut, puta, Alexandrum Bremensem, Hugonem de Digna atque Bonaventuram illum exlecebris Abbatis Florentis captos fuisse.

<sup>7</sup> Russo. I Frati Minori. P. 42—43.

<sup>8</sup> Cf. praesertim Hervaei Natalis *De paupertate Christi et Apostolorum* / Ed. J. G. Sikes // Archives d'histoire doctrinale et littéraire du Moyen Âge. 12—13. 1937—1938. P. 189—226; recentiorem editionem edidit: Jones J. D., Hervaeus Natalis. *The Poverty of Christ and the Apostles. A Translation with introduction and notes, of the Liber de paupertate Christi et Apostolorum*. Toronto, 1999 (*Medieval Sources in Translation 37 / Studies in Medieval Moral Teaching 2*).

<sup>9</sup> Narbonae, in celebrando Capitulo generali anno 1260, additamenta Constitutionum nonnulla proposuerat Bonaventura, quibus abusiones saltem gravissimae circumscriberentur eaque plerumque rata habuerunt Fratres in Capitulis post convocatis: Bihl M. *Statuta generalia Ordinis edita in Capitulis generalibus celebratis Narbonae an.*

Bonaventura<sup>10</sup>, *quotuplici pacto homines negotia rerum temporalium instituerent existimando, peculiarem habitum hominis ad res, omni iure detracto, secluserit atque, proprietate, possessione, usufructu recusatis, solum usum delimitavit, quo vita mortalium non possit carere. Hunc in finem nomen simplicis usus imposuit vel usus facti rerum quibus vita humana non possit carere, quod post iuris periti examussim distinxerunt.*<sup>11</sup> In hac controversia<sup>12</sup> iam desiit paupertas mera supputatione pretii rerumque mancipii ratione finiri, ut, quam ceteri per contrarium divitiarum et affluentiae intellexerent, apud Bonaventuram in actum utendi solo necessario abiret, omni iure<sup>13</sup> (ut, puta, emptionis, venditionis, locationis, conductionis, fructus, usufructus, societatis, depositi, mutui aliisque innumerabilibus) atque dominio (in proprio communiterve) remotis. Effectus huius doctrinae refulsit in adprobatione iuris canonumque peritorum, qui saepius in profunda definitionis illius introspexerunt. Francisci fratres enim, supercedentes Dominicanorum paupertatem, qui *meum esse arbrumpentes nostrum esse sanxerant, a quavis possessionis specie se*

---

1260, Assisii an. 1279 atque Parisiis an. 1292 (editio critica et synoptica) // Archivum Franciscanum Historicum. 34. 1941. P. 13–94, 284–358.

<sup>10</sup> Cf.: Sileo L. Natura e norma dalla Summa Halensis a Bonaventura // Etica e Politica: le teorie dei Frati Mendicanti nel Due e Trecento. Atti del 26° Convegno Internazionale, Assisi 15–17 ottobre 1998. Spoleto, 1999. P. 30–58.

<sup>11</sup> Doctoris Seraphici S. Bonaventurae, Apologia pauperum // Opera Omnia. Firenze, 1882—1902. VIII. 312 (30–330): «cum circa res temporales quatuor sit considerare, scilicet proprietatem, possessionem, usufructum et simplicem usum; et primis quidem vita mortalium possit carere, ultimo vero tanquam necessario egeat». Cf.: Lambertini R. Apologia e crescita dell'identità francescana. Roma, 1990.

<sup>12</sup> Super hac controversia inter omnia cf.: Lambert M. D. Franciscan Poverty. The Doctrine of the Absolute Poverty of Christ and the Apostles in the Franciscan Order, 1210—1323. London, 1961 (Lambert M. D. Povertà francescana. La dottrina dell'assoluta povertà di Cristo e degli Apostoli nell'ordine francescano (1210—1323). Milano, 1995); Tarello G. Profili giuridici della questione della povertà nel francescanesimo prima di Ockham. Milano, 1964.

<sup>13</sup> Ut patet, schola Franciscanorum exacuit vehementer distinctionem inter usum, dominium, iura in re aliena quae post classicam aetatem quodammodo confusa erant, neque semper plene apud ipsos iuris peritos Mediae aetatis separatim habebantur: Feenstra R. Dominium et ius in re aliena: The Origins of a Civil Law Distinction // New Perspectives in the Roman Private Law of Property / Ed. P. Brinks. Oxford. P. 111–122. De re cf.: Lewy E. West Roman Vulgar Law. The law of Property. Philadelphia, 1951; etiam Willoweit D. Dominium und proprietas. Zur Entwicklung des Eigentumsbegriff in der mittelalterlichen und neuzeitlichen Rechtswissenschaft // Historisches Jahrbuch. 94. 1974. P. 131–156; Köbler G. Eigen und Eigentum // Zeitschrift für Savigny Stiftung. Germanistische Abteilung. 95. 1978. P. 1–33.

abstrahere voluerunt, si possent in omnium dierum vita cum rebus id commercium instituere, in quo omne ius omnino quiesceret.

Interea, ne usus legitimus fieret velut dominium utile, in violationem voti, anno 1279, instante Capitulo generali, Bonagratia de S. Iohanne in Persiceto ministro generali rogante, Nicolaus III, coetu peritorum adiutore usus (in quibus etiam Benedictus Caetani fuit, Bonifatius VIII Pontifex futurus) data bulla verbis *Exiit qui seminat* (1279)<sup>14</sup> incipiente, executioni dedit recognitionem declarationum, quas *authenticas* vocant, de Regula, ut, semel rato, quid *proprietatis, possessionis, ususfructus, iuris utendi, simplicis usus facti* nomina inter se differrent<sup>15</sup>, disciplinam de successione per ordinem disponderet. Hanc igitur esse Regulae Francisci publicam interpretationem sancit Romanus Pontifex, ut locus sit usui facti tantum, qui in utendo nihil iuris praebat utentibus. Quas normas semel in *Decretalium* librum VI (5.12.3) receptas, cum ad scholas anno 1298 essent destinatae, iuris communis doctores peritique praefixi signi loco deinceps habuerunt.

*Formam vivendi*<sup>16</sup> beati Francisci argutissima admirabilique sententia Hugo de Digna, in acerrimis Regulae interpretationibus, in pauca confert, cum scribit: «*hoc ius: nullum in his quae transeunt ius habere*».<sup>17</sup> Quam sententiam fusius Bonagratia Bergomensis enodavit in libro, quem *de Paupertate Christi* conscripsit. Hoc enim principio proposito, non posse fratres quicquam in his, quae transeunt habere proprium, immo *nihil eis magis improprium quam proprium*<sup>18</sup> esse, id ante omnia quaeritur, qui fiat, ut de ipso iure iura omnia in vita fratrum quiescant?<sup>19</sup>

<sup>14</sup> Nicolai III, *Exiit qui seminat*, a. III // Seraphicae legislationis textus originales. Firenze, 1897. P. 181–227. De hoc aliisque textibus cf.: Gál G., Flood D. (acc.) Niccolò Minorita, *Chronica. Documentation on Pope John XXII, Michael of Cesena and the Poverty of Christ with Summaries in English. A Source Book*, St. Bonaventure NY, 1996.

<sup>15</sup> Bulla *Exiit qui seminat* (1279) Pontifex sanxit usum facti in interpretationem genuinum Regulae Francisci. «Usus non iuris sed facti tantummodo nomen habens, quod facti est tantum, in utendo praebet utentibus nihil iuris», in: *Exiit qui seminat*. P. 194.

<sup>16</sup> Cf.: Petri Iohannis Olivi, *Expositio super regulam* / Ed. D. Flood. Wiesbaden, 1972. P. 117: «Vocamus eam non solum regulam sed et vitam, ut sit sensus [...] quod potius consistit in actu et opere vitae quam in charta vel lettera aut intellectu vel lingua».

<sup>17</sup> Hugonis de Digna, *Expositio Regulae* / Ed. D. Flood. Grottaferrata, 1979. P. 161: «Hoc autem est fratrum minorum proprium: nihil sub coelo proprium habere possidere. Hoc ius: nullum in hiis quae transeunt ius habere».

<sup>18</sup> Hugonis de Digna, *De finibus paupertatis auctore Hugone de Digna. (Texte inédit)* / Ed. Claudia Florovski // *Archivum Franciscanum Historicum*. V. 1912. P. 290.

<sup>19</sup> Hugonis de Digna, *Expositio Regulae*. P. 155, «Usus autem fratres rerum dominos numquam facit», qua re denegatur constitutio cuiuslibet negotii iuridici.

Utriusque iuris litterate peritus, comparat Bonagratia<sup>20</sup> fratrum vitam *tempori extremae necessitatis* in perpetuum assumpto.<sup>21</sup> Etenim, sic ille argumentatur, in civili<sup>22</sup> aequae atque canonico<sup>23</sup> iure cautum est, ut tempore extremae necessitatis, quae ad victum vitamque pertineant, omnia omnibus communia sint, ut cunctis liber pateat usus neque cuiquam liceat quidquam sibi in proprietatem vindicare. Quae quidem quantum in religione colenda pateant, nemo est, qui non videat. Quid enim magis decet christianos, quam in *loco peregrinationis* (Ps. 118, 54) suae vivere, ut *qui emant sint tamquam non possidentes et qui utuntur hoc mundo tamquam non utantur* (1 Cor. 7, 30–31)? At, quo tempore inter se Bonifatius VIII atque Philippus Gallorum rex asperrime certabant de necessitudine inter imperium in temporalibus et potestatem in spiritualibus intercedente, controversia de proprietate et dominio adeo vehementer exarsit, ut, praetergressa saepta religionis, necessario<sup>24</sup> in scientiam civilem (seu politicam) redundaret.<sup>25</sup> Neque facile fieri poterat, quin redundasset, nam, sicut Janet Coleman<sup>26</sup> egregie ostendit, *dominii* nomen apud auctores Mediae aetatis eo usque dilatatum erat,

<sup>20</sup> Bonagratiae Bergomensis, Tractatus de Paupertate Christi et apostolorum / Ed. L. Oligier // Archivum Franciscanum Historicum. 22. 1929. P. 504–505 (292–335; 487–511). Opus penitus perpendit: Tarello G. Profili giuridici della questione della povertà nel francescanesimo prima di Ockham // Scritti in memoria di Antonio Falchi. Annali della facoltà di Giurisprudenza dell'Università di Genova. III. Milano, 1964. P. 338–448.

<sup>21</sup> Cf.: Guillelmi de Occam, Opus nonaginta dierum, cap. 65, pp. 58–59: «per permissionem autem et per consequens per licentiam [...] nullum ius novum sibi confertur». Cf.: Lambertini R. La povertà e la spada // Chemins de la pensée médiévale. Études offertes à Zénon Kaluza. Brepols, 2002.

<sup>22</sup> Cf., v.g.: «Necessitas non habet legem», Glossa Expedire in Dig. I 10, 1 §1. Cf. etiam Lex Rhodia de iactu, in Dig. XIV 2, 2.

<sup>23</sup> Cf., v.g.: Gratiani, Decretum. I. D. XLVII. C. 8; Tarello G. Profili giuridici della questione della povertà nel francescanesimo prima di Ockham. P. 340–350.

<sup>24</sup> Relationem necessariam inter controversiam Franciscanorum de paupertate et speculationem de natura et forma civitatis luculenter ostendit Janet Coleman (Coleman J. Ratio and Dominion according to John of Paris and Marsilius of Padua // Preuve et raison à l'université de Paris. Logique, ontologie et théologie au XIV siècle / Éd. par Z. Kaluza et P. Vignaux. Paris, 1984. P. 65–81); cf.: Coleman J. Poverty, Property and Political Thought in Fourteenth Century Scholastic Philosophy // L'homme et son universe au moyen âge / Éd. par C. Wenin. Louvain-la-Neuve, 1985. P. 845–855. Adde etiam: Tabarroni A. Francescanesimo e riflessione politica sino ad Ockham // Etica e politica: le teorie de frati mendicanti nel Due e Trecento. Spoleto, 1999. P. 203–230.

<sup>25</sup> Lambertini R. La povertà pensata: Evoluzione storica della definizione dell'identità minoritica da Bonaventura ad Ockham. Modena, 2000.

<sup>26</sup> Coleman J. Property and Poverty // The Cambridge History of Medieval Political Thought c. 350–1450 // Ed. J. Burns, C.U.P. Cambridge, 1991. P. 607–652.

ut aequivoca significatione simul et formam commercii cum rebus et potestatem civilem ab auctoritate in subditos exercendam indicaret.

Episcopi et presbyteri saeculares iniquo animo ferebant, quoties a Pontifice partes Ordinum mendicantium foveri videbantur.<sup>27</sup> Sed res iam in casus longe graviore vergere coeperunt statim post obitum Bonaventurae (1274), cum nonnulli fratres, haud satis habentes vitam Francisci imitari, existimare sunt auspicati, an omnibus Christifidelibus status perfectae paupertatis melior esset omni statu divitiarum.<sup>28</sup> Neque modicus fuit eorum coetus, qui in schisma vel haeresin declinaverunt, praesertim ex his, qui vulgo *Fratricelli* audiebant.<sup>29</sup> Horum auctores fuerunt Petrus de Iohanne Olivi in Gallia, Angelus Clarenus et Ubertinus de Casali in Italia. Petrus autem, qui in usu rerum Franciscanorum ipsum *iuste vivere collocaverat*<sup>30</sup>, ut non posset quod est iustum in vita servari nisi ab eo, qui omni dominio abrenuntiasset, eo usque progressus est, ut in *Lectura super Apocalypsim* in Ecclesia illius aetatis imaginem agnosceret *ecclesiae carnalis* seu *Babylonis* ardentis libidine insectandi parvulam *ecclesiam spiritualem*, cui Franciscani praesent.<sup>31</sup> Ex adverso tamen, iuris canonici periti respondere morati non sunt. Iam Henricus de Segusio Cardinalis Hostiensis (m. 1271), defendens legitimam potestatem Ecclesiae agendi in temporalibus cum propter bonum animarum tum quia leges civiles, quippe quae e iure divino descendant, pars sunt theologiae<sup>32</sup>, haud obscure fastidit indoctos

<sup>27</sup> Vide: Congar Y. Aspects ecclésiologiques de la querelle entre mendiants et séculiers dans la seconde moitié du XIII<sup>e</sup> siècle et le début du XIV<sup>e</sup> // Archives d'histoire doctrinale et littéraire du moyen âge. 36. 1961. P. 35–151.

<sup>28</sup> Ut verbis utamur Petri Olivi, Quaestio de perfectione evangelica 8: An status altissimae paupertatis sit simpliciter melior omni statu divitiarum, publici iuris ap. Schlageter J. Das Heil der Armen und das Verderben der Reichen. Werl/Westfalen, 1989.

<sup>29</sup> De variis appellationibus cf.: Iohannis XXII // Bullarium Franciscanum V. P. 110: «nonnulli profanae multitudinis viri, qui vulgariter Fraticelli seu Fratres de paupere vita aut bizochi seu beghini seu alio nomine nuncupantur, in partibus Italiae necnon in insula Siciliae [...] contra dictos canones habitum novae religionis assumere, congregationes et conventicula facere et superiores sibi eligere quos ministros seu custodes vel guardianos aut nominibus aliis appellant».

<sup>30</sup> Cf.: P. Olivi, Quaestio de perfectione evangelica 8, publicata in XXX: «nullus potest vivere iuste sine usu rerum necessariorum»

<sup>31</sup> Russo. I Francescani Minori. P. 44. De lectura super Apocalypsim cf.: Tabarroni A. Paupertas Christi et apostolorum. L'ideale francescano in discussione. Roma, 1990. P. 14–20. De Petro, cf.: D'Angelo E. Storia della letteratura mediolatina. Montella, 2004. P. 298.

<sup>32</sup> Hostiensis, Lectura in Decretales, in cap. 10 super specula, X, ne clerici vel monachi saecularibus negotiis se immisceant, 3, 50 «lex civilis pars est theologiae, sive divinae legis et locum suum necessarium obtinet in ecclesia sancta Dei quoad regimen saltem temporalium» s.v. ampliari n. 3, ed fo 183 r.a. ; ld., Lectura, in cap. 14 cum sit ars artium,



rudesque spirituales, qui quod non valent intellegere, insipienter aspernantur: “Multi tamen has leges, scilicet humanam et canonicam, reprobant et blasphemant, quia, secundum Boetium, tot sunt hostes artis quot ignorantes [...] hi autem quaecumque ignorant blasphemant”.<sup>33</sup> In hac veluti forma rerumque descriptione, ut lex canonica, utpote quae media iaceat inter ius divinum et humanum, artis artium locum obtinet<sup>34</sup>, sic eius periti genuinam exprimunt imaginem hominis christiani, qui medium detinet locum inter corpora belluina et monachos angelorum similes (ne fugiat in Cardinalis verbis irrisio dissimulata).<sup>35</sup> Hinc iam defensio dominii ecclesiastici in temporalibus atque repulsio doctrinarum de perfecta paupertate voluntaria velut suppari gressu videntur procedere.

Severam paupertatis observantiam graviter concussit Martinus IV, cum, lata Bulla *Exultantes in Domino* (1283), Generali, provincialibus custodibusque Seraphici Ordinis potestatem tribuit, ut hominibus *extra religionem*, qui nempe Ordinis sodales non essent, munus conferrent vel administratoris vel oeconomi syndicique bonorum communitatis ad captandas stipes pro commodis monachorum. Hac igitur cavillatione, contra votum Regulae, fratribus copia facta est agendi in successionibus oblique, nec sine mercede fortuna utentibus.

Interea propagines doctrinae temporalis, cum paulatim in gemmas crevissent, iam fructus post flores edebant atque die 18 novembris 1302 maturuit<sup>36</sup>, ut ita dicam, Bulla *Unam sanctam*, qua Bonifatius VIII Pontifex declaravit, subesse Romano Pontifici omnem humanam

---

X, de S. Trin., 1, 1, n. 39, ed. fo 6 r.b. : « unde dicas quod istae duae leges [scil. canonica et civilis] unum sunt cum theologia, et omnes sunt necessariae ecclesiae sanctae Dei. » Hostiensis, Lectura, in cap. Cum sit ars artis, cit., n. 6. « (lex) civilis principaliter tractat de regimine temporalium, quae necessaria sunt ecclesiae Dei sicut corpus animae [...] theologia vero principaliter de anima, canonica modo de hoc modo de illo ».

<sup>33</sup> Hostiensis, Lectura, in cap. Cum sit ars artium, n. 7.

<sup>34</sup> Hostiensis, Lectura, in cap. Cum sit ars artis, cit., n. 6. « (lex) civilis principaliter tractat de regimine temporalium, quae necessaria sunt ecclesiae Dei sicut corpus animae [...] theologia vero principaliter de anima, canonica modo de hoc modo de illo ».

<sup>35</sup> Hostiensis, Lectura, in cap. firmiter, de S. Trin., cit., n. 16, ed. fo 5 v.a-b. : « sicut ergo medium rationis est inter synderesim et sensualitatem, sic et clerici saeculares inter religiosos et laicos tenent medium beatorum ». Plura cf. ap.: Bellini. P. 116-117.

<sup>36</sup> De Ecclesiae dominatusque relatione incipiente saec. XIV, vide: Rehberg A. Kirche und Macht im römischen Trecento. Die Colonna und ihre Klientelen auf dem kurialen Pfründemarkt (1278—1378). Tübingen, 1999 [= Bibliothek der Deutschen Historischen Instituts in Rom. 88]; etiam: Allegrezza F. Organizzazione del potere e dinamiche familiari. Gli Orsini dal Duecento agli inizi del Quattrocento. Roma, 1998.

potestatem, omnino esse de necessitate salutis.<sup>37</sup> In iis autem, quae protinus ad naturam dominii pertinent, plurimum apud Pontificem potuerunt ea, quae in libro de *De Ecclesiastica potestate*<sup>38</sup> (1302) nuper Aegidius Romanus agitaverat. Nam Augustini doctrinam (*Civ.* IV 4) repetens, hac propemodum ratione Aegidius argumentatur: nulla legitima est possessio nisi iusta, sed cum nulla sit iustitia extra legem divinam quae, teste Augustino (*Civ.* II 21) vivit in societate a Christo instaurata, extra Ecclesiam nulla est legitima possessio, sed Ecclesia, dominium habens iustum, sola potest hominibus possessionem concedere legibus conformem. Ob id ipsum, cum iudicium non nisi in suis exerceatur, sola Ecclesia habet plenum ius iudicandi et etiam excommunicatione possessionumque orbatione multandi, qua ipsa potestate, e converso, dominium eius plenum confirmatur. Quam ob rem integrum fit Pontifici, cum habeat *plenitudinem potestatis*, directe in temporalibus agere et dominari.<sup>39</sup>

## Doctrina de duabus potestatibus

Huc cum sit perventum, quo ad cognoscendum omnia magis in aperto sint, antequam cetera enodem, nescio an praestet doctrinae de duabus potestatibus quasi conspectum paucis adumbrare. Doctores christiani senioris Antiquitatis disciplinam, superioribus sapientibus ignotam, instituerant de separatione sacerdotii et imperii, viribus coniunctis sed diversa ratione ad bonum fidelium agentium, quippe quae utrumque a

<sup>37</sup> Bonifacii VIII, *Unam Sanctam*, Denzinger, *Enchiridion symbolorum et definitionum*: 874 (469) : «subesse Romano Pontifici omni humanae creaturae declaramus, dicimus, diffinimus omnino esse de necessitate salutis». Cf. etiam ibid. 873 (469) : « In hac eiusque potestate duos esse gladios, spirituales videlicet et temporales, evangelicis dictis instruimus (provocatur ad Lc 22, 38 et Mt 26, 52) [...] Uterque ergo est in potestate Ecclesiae, spiritualis scilicet gladius et materialis. Sed is quidem pro Ecclesia, ille vero ab Ecclesia exercendus. Ille sacerdotis, is manu regum et militum, sed ad nutum et patientiam sacerdotis. Oportet autem gladium esse sub gladio, et temporalem auctoritatem spirituali subici potestati. [...] Spirituales et dignitate et nobilitate terrenam quamlibet praecellere potestatem, oportet tanto clarius nos fateri, quanto spiritualia temporalia antecellunt. [...] Nam Veritate testante, spiritualis potestas terrenam potestatem instituere habet, et iudicare, si bona non fuerit. [...] Ergo si deviat terrena potestas, iudicabitur a potestate spirituali; sed, si deviat spiritualis minor, a suo superiore; si vero suprema, a solo Deo, non ab homine poterit iudicari, testante Apostolo: "Spiritualis homo iudicat omnia, ipse autem a nemine iudicatur" (1Cor 2, 15)».

<sup>38</sup> Aegidii Romani, *De potestate ecclesiastica* / Ed. S. Scholz. Weimar, 1929. Recentius: Egidio Romano. *Il potere della Chiesa* / Acc. G. Dotto, G. B. M. Marcoaldi. Roma, 2000.

<sup>39</sup> Cf.: Mariateresa Fumagalli Beonio Brocchieri, Parodi M. *Storia della filosofia medievale*. Roma-Bari, 1996. P. 414-415.

Deo originem suam repeterent.<sup>40</sup> In Decreto Gratiani (ca. 1140)<sup>41</sup> hoc principium continetur canone *Duo sunt*,<sup>42</sup> qui constat epistula quadam a Gelasio I, Pontifice romano, ad imperatorem Anastasium anno 494 missa<sup>43</sup> idque ab omnibus canonum interpretibus, qui post fuerunt, receptum est.<sup>44</sup> Regis autem atque pontificis potestates, quamvis ab uno fonte manavissent, non eadem censebantur dignitate ornatae, nam cum ad officium pontificis pertineret animarum bonum, quod est maximum, ad regis autem munus spectaret, ut vitam multitudinis bonam procuraret<sup>45</sup>, quo facilius illa ad caelestem beatitudinem perveniret, ratione finis superioris sacerdotium maius quam regnum videbatur, pontifices vero digni quibus reges oboedirent. Propterea pontifices censebantur insigniti plenitudine, ut vocabant, potestatis, nam praeerant Ecclesiae, quae, cum sola protinus ad finem ultimum hominem viatorem duceret, ratione Aristotelia societas perfecta appellabatur, quippe quae in se suum finem contineret. Cum autem pedetemptim pietas christiana in omnes imperii occidentalis partes penetrasset, sensim sine sensu civitas et ecclesia velut ad unum reductae sunt, ut iam unus populus Dei unumque regnum esset, sicut Otho Frisingensis cito animadvertit.<sup>46</sup>

<sup>40</sup> De hac re cf.: De Giovanni L. Chiesa e Stato nel Codice Teodosiano. Napoli, 1997 (praes. P. 160–170). Opus maximum adhuc est Biondi B. Il diritto romano-cristiano. 3 voll. Milano, 1952–54. Cf. etiam : Gaudemet J. La formation du droit séculaire et du droit de l'Église aux IVe et Ve siècles. II ed. Paris, 1979. P. 205–215 (pro bibliographia) ; Gaudemet J. La législation religieuse de Constantin // Revue d'Histoire de l'Église de France. XXXIII. 1947. P. 25–61; De Marini F. La politica legislativa di Valentiniano III e Teodosio II. Torino, 1971; Amarelli F. Vetustas-Innovatio. Napoli, 1978; Herrmann E. Ecclesia in re publica. Frankfurt am M., 1980.

<sup>41</sup> Super Gratiani Decreto (quod fuit florilegium ex operibus et scriptis Pontificum, episcoporum theologorumque, qui seriore antiquitate et inter initia mediae aetatis vixerunt, a Gratiano collectum et commentario ornatum ca. 1140. Cito in usum scholarum vulgatum est usque ad annum 1234, cum, Pontifice Gregorio IX auctore, Decretales in publicum prodierunt) cf.: Falchi G. L., Ferme B. E. Introduzione allo Studio dell'Utrumque Ius. Città del Vaticano, 2006. P. 279–357.

<sup>42</sup> Dist. 96, c. 10; Friedberg E. Decretum Magistri Gratiani. Lipsiae, 1879. I. P. 340.

<sup>43</sup> Gelasii Epistula ad Anastasium Augustum, 2 // P. L. Migne. T. 59. Col. 42.

<sup>44</sup> Cf. Hostiensis, Lectura, in cap. 1 cum ex illo, X, de translatione episcopi, 1, 7, n. 4, ed. Venetiis, f. 81: «ideo dicitur quod utrumque, scilicet sacerdotium et imperium ab eodem principio emanarunt».

<sup>45</sup> S. Thomae Aq., De regimine principum, l 15, ed. veneta a. 1754, vol. 19, p. 542: «Quia igitur vitae, quam in praesenti bene vivimus, finis est beatitudo caelestis, ad regis officium pertinet ea ratione vitam multitudinis bonam procurare secundum quod congruit ad caelestem beatitudinem, ut scilicet ea praecipiat, quae ad caelestem beatitudinem ducunt, et eorum contraria quoad fuerit possibile interdicat».

<sup>46</sup> Chronica seu historia de duabus civitatibus // M. G. H. Ed. sep. Hanoverae et Lipsiae, 1912. Prol. lib. V, c. f. P. 228: «at deinceps (scil. post Theodosium), quia omnis

## Ius naturale "christianum"

### a. apud canonum peritos

Ratio huius doctrinae invenitur praesertim in disciplina de iure naturali et divino, quam interea pedetemptim auctores fontium iuris canonici auxerant et perpolierant, quo magis congrueret evangelicae legi Patrumque sententiis.

Licet iam a sapientibus Stoicorum sectae addictis speciem iuris naturalis formatam per orbem terrarum Latinis litteris Cicero<sup>47</sup> concelebrasset, tamen in fontibus romani iuris antejustiniani auctores videntur quodammodo natare inter Ulpianum (*Dig. I, I, 1*), qui iuris naturae nomen instinctum denotat homini bellisque communem, et Gaium (*Dig. I, I, 9*) Paulumque (*Dig. I, I, 11*), qui potius rationem naturalem intellegunt hominibus praecepta suadentem, quae, cum semper et ubique vigeant, de *iure gentium* esse creduntur. Iustiniano imperatore (m. 564) cietur quodammodo ius naturae e plano hominum, ut aequetur numero rerum divinarum (*Inst. 1, 2, 11*): "*Naturalia quaedam iura, quae apud omnes gentes peraeque servantur, divina quadam providentia constituta, semper firma atque immutabilia permanent.*" At, si bene consideres, praeter ea, quae ob catholicam fidem concessa sunt divinae providentiae, accipit hic debet sermo de iuribus (non de iure), ac si diceret de legibus consuetudinibusve generalibus, non autem de naturali illo iure separatim et in universo existimato, quod quidem in *Institutionibus* (1, 2, 1) non aliter, quam apud Ulpianum definitum legimus: *Ius naturale est, quod natura omnia animalia docuit. Nam ius istud non humani generis proprium est, sed omnium animalium [...]. Hinc descendit maris atque feminae coniugatio* etc. Iura autem illa magis attinent ad ius gentium, quod in *Institutionibus* (1, 2, 1) sic proponitur: *quod vero naturalis ratio inter omnes homines constituit, id apud omnes populos peraeque custoditur vocaturque ius gentium, quasi quo iure omnes gentes utuntur*, ut sunt iura possidendi et in dominio habendi (cf. *Inst. 2, 1, 11*). Quam longo adhuc intervallo Iustinianus distet a Patrum doctrina, eo potissimum apparet, quod iura naturalia non facit velut fundamentum legis civilis, sed potius complementum in his, quae prudentia civilis non regit, utpote per se naturali ratione cognita.

---

non solum populus, sed et principes, exceptis paucis, katholici fuere, videor mihi non de duabus civitatibus, sed pene de una tantum, quam ecclesiam dico, hystoriam texuisse».

<sup>47</sup> Cf. Cic. r. p. III 22, 33.

Longius multo iam Patres erant progressi. Principium Tetullianus posuit, qui (*De corona* 6) innisus Pauli epistulis (1 *Cor.* 11, 14; *Rom.* 2, 14) divinam atque naturalem legem inter se aequaverat, idemque ius divinum seu naturale humanis legibus anteposuerat, ut quicquid in iure Romanorum divinis praeceptis minus congrueret, id ob desuetudinem abolendum censeret (*Apol.* 6, 2, 7).<sup>48</sup> Quae omnia multis post saeculis tantum aspiciamus recepta in iuris prudentia apud Gratianum (*Decr.*, 1, 8, 2), qui Isidori *Etymologiis* (5, 9, 2–5, 10–14)<sup>49</sup> innisus, primus contemperavit diversos auctores, ut in fontium gradatione<sup>50</sup> primo loco ius divinum assignaret, modumque faceret veterum illi principio: *quod principi placuit, legis habet vigorem* (Ulp. = *Dig.* 1, 4, 1 receptum in *Inst.* 1, 2, 6). In aestimatione huius legis translatione operae pretium est provocare ad verba J. Gaudemet, qui, harum rerum peritissimus, Gratiani opus delineavit: « Le Décret de Gratien marque à cet égard un moment important. Synthèse malhabile mais puissante des doctrines antérieures, qu’elles viennent de la Rome païenne ou du christianisme, il marque un point d’arrivée: mais c’est aussi la base de départ de la doctrine canonique classique. Cette position centrale mérite l’attention ».<sup>51</sup> Postea canonum periti Gratianum secuti ad laboraverunt reductioni legum potestatisque ad unum in persona Pontificis. Ne omnia pedissequae rimemur, satis habebimus inter omnes Petrum Blesium (de Blois) memorare. Paucis enim decennis (ca. 1180) post *Decretum* a Gratiano editum, Petrus Blesius de plano cernit quid e Gratiani fontium dispositione consequatur, cum approbet doceatque correctionem legum saecularium e sacris canonibus per derogationem, quoties in discrimen adducatur salus animarum<sup>52</sup>; quod principium, ut Petrus non ad

<sup>48</sup> Cf. super hoc: Klein R. *Tertullian und das römische Reich*. Heidelberg, 1968; de ceteris Patribus cum libris copiose memoratis vide Falchi, Ferme. *Introduzione*. P. 305–307.

<sup>49</sup> Cf. Falchi, Ferme. *Introduzione*. P. 14.

<sup>50</sup> Ipsam gradationis notionem primum ap. Gratianum adhibitam videmus: Gaudemet J. *La doctrine des sources du droit dans le Décret de Gratien // Revue de droit canonique*. 1. 1951. P. 4–20.

<sup>51</sup> Gaudemet J. *Il diritto canonico / Acc. R. Bertolino et L. Musselli*. Torino, 1991. P. 24.

<sup>52</sup> Petri de Blois, *Speculum iuris canonici*, cap. 16, legibus per canones derogari, ed. Reimar, p. 41: « In saecularibus autem negotiis inter saeculares personas agitandis leges non cedunt canonibus. Quod tamen sine distinctione non admitto. Refert lex vel consuetudo inducat aliquid in iudicio saeculari quod importet utriusque vel alteri parti damnum tantum pecuniarium an etiam periculum animarum: ut sunt iudicia in quibus Deus temptari videtur scilicet aquae ferventis vel candendis ferri vel duelli. Canonum enim vigor se extendit ad causas saeculares ex quibus et in quibus animae periculum versatur.»

ultima consecraria deducit, tamen cardinem potestatis Pontificum in omnes solique Deo subiectae iam in nuce continet. Praeterea, cum definiri quid secum periculum animarum ferat ecclesiasticae potestatis tantum sit, haud obscure videmus, quantum pateat libertas derogandi legibus civilibus, ut vetus illa coniunctio Regni Sacerdotiique, quam superius in canonem *Duo sunt* diximus receptam, facile in principatum Ecclesiae converti possit. Quod quidem sensim sine sensu factum est. Nam saeculo XIII Innocentius III (1160—1213) hunc rerum statum aperte in canones recepit<sup>53</sup>, eo maxime argumento, quod, cum Pontificis esset de rebus spiritualibus iudicare, ergo, a maiore ad minus, etiam de rebus, quae in hoc mundo fiunt, iudicium ad eum pertineret. Cum autem potestas iudicii seiungi non possit a potestate in subiectis, qui iudicantur, alioquin nulla poena iudicium sequeretur, patet potestatem in temporalibus esse Pontificis, qui eam principibus ad nutum tradit administrandam<sup>54</sup> congruenter legibus moralibus, quarum Pontifex ipse fit custos. Huius doctrinae quasi solum et fundamentum in eo stat, quod Sacrae Scripturae praecepta, quorum Pontifex sit vindex, non mera hortamenta, verum veri nominis leges hominibus proponant (ius divinum/naturale), quibus violatis poena apte consequatur, sit necesse. Ita fit ut Magisterium morale amplificetur potestate regendi, iudicandi puniendique. Pontifex, qui per se non aboleverat principium sanctum in canone *Duo sunt*, cum exercitium potestatis temporalis exceptionis forma delineasset, tamen cum causam sui temporalis interventus maxime ratione peccati determinasset, re quidem ipsa facultatem sibi paraverat agendi semper et ubique, quoties id sibi visum esset. His insuper, cum potestas non libere sed semper in territorio subiecto exerceatur, ex eiusdem pontificis doctrina id colligitur, quod, cum omnia quaecumque in terris sunt, in Dei proprietate sint, Pontifex autem Christi Vicarius sit, omnia in imperio Christianorum dominio ipsius contineantur.<sup>55</sup> Hanc doctrinam apte elaboratam in canones periti haud multo post acceperunt, demonstrantes, reges subiacere Pontifici, propter munus vicarii ab ipsa deitate Romano Antistiti collatum, sicut legimus, ut exemplum afferamus, apud Godefridum Turnatinum

<sup>53</sup> Per venerabilem, Decretales 4.17.13, Friedberg E. *Decretalium collectiones*. Lipsiae, 1881. II. P. 714 sq.

<sup>54</sup> Tierney B. *The Crisis of Church and State 1050–1300*. Prentice-Hall, 1980. P. 93–94, 120–124.

<sup>55</sup> Coleman J. *Medieval Discussions of Property: Ratio and Dominium according to John of Paris and Marsilius of Padua // History of Political Thought*. 4. 1983. P. 209–228.

(m. 1245)<sup>56</sup>: *“hoc autem indubitatum est, quod Deus praepositur omnibus potestatibus [...] ergo et eius vicarius, qui vicem eius gerit in terris”*. Exitus denique et quasi consummatio huius progressionis disciplinae normarumque haec fuit, ut lex canonica positiva iuri divino aequiperaretur, ne dominatus divini vicarii angusto iam finiretur limite utriusque Testamenti. Quod quidem, recusantibus iuris periti<sup>57</sup>, maxime cardinalis Hostiensis propugnavit, siquidem: *“quidquid iuris promulgat papa, Deus, cuius vicarius est, intelligitur promulgare.”*<sup>58</sup>

*b. apud S. Thomam Aquinatem*

Post Gratianum ceterosque, quos memoravimus, philosophicis usus argumentis, Thomas Aquinas consummavit fundamentum iuris naturalis iuxta theologiam elaborati. Thomas enim, ut iuris notionem a singulis iuribus legibusque ab hominibus conditis segregaret, Aristotele innisus (In V Ethic., lect. 12, n. 1. 016)<sup>59</sup>, docuit vocabulo

<sup>56</sup> Godefridi Tranensis, Summa, in tit. De haereticis, 5, 7, n. 13, fo 205 v.b.

<sup>57</sup> Cf. fontes affluentissime memoratos ap.: Bellini P. Respublica sub Deo. Il primato del Sacro nella esperienza giuridica della Europa preumanista. Firenze, 1981. P. 117. N. 14.

<sup>58</sup> Hostiensis, Lectura, in cap. 30 nimis, X, de iureiurando, 2, 24, n. 2, ed. fo 137 r. a.

<sup>59</sup> «Dicit ergo primo, quod politicum iustum dividitur in duo: quorum unum est iustum naturale, aliud autem iustum legale. Est autem haec eadem divisio cum divisione quam iuristae ponunt, quod iuris aliud est naturale, aliud est positum; idem enim nominant illi ius quod Aristotiles iustum, nam et Isidorus dicit in libro etymologiarum, quod ius dicitur quasi iustum. Videtur autem esse contrarietas quantum ad hoc, quod politicum idem est quod civile; et sic id quod apud Philosophum ponitur ut divisum, apud iuristas videtur poni ut dividens, nam ius civile ponunt partem iuris positivi. Sed attendendum est, quod aliter sumitur politicum vel civile hic apud Philosophum et aliter apud iuristas; Philosophus enim hic nominat politicum iustum vel civile ex usu, quo scilicet cives utuntur; iuristae autem nominant ius politicum vel civile ex causa, quod scilicet civitas aliqua sibi constituit, et ideo convenienter hic a Philosopho nominatur legale, idest lege positum, quod et illi dicunt positum; convenienter autem per haec duo dividitur iustum politicum, utuntur enim cives iusto et eo quod natura menti humanae indidit, et eo quod est positum lege. Deinde cum dicit: naturale quidem etc., manifestat membra divisionis praemissae. Et primo manifestat iustum naturale dupliciter. Uno modo secundum effectum vel virtutem, dicens quod iustum naturale est quod habet ubique eandem potentiam, id est virtutem, ad inducendum ad bonum et ad arcendum a malo. Quod quidem contingit eo quod natura, quae est causa huius iusti, eadem est ubique apud omnes, iustum vero quod est ex positione alicuius civitatis vel principis apud illos tantum est virtuosum, qui subduntur iurisdictioni illius civitatis vel principis. Alio modo manifestat hoc iustum secundum causam, cum dicit, quod iustum naturale non consistit in videri vel non videri, idest non oritur ex aliqua opinione humana, sed ex natura. Sicut enim in speculativis sunt quaedam naturaliter cognita, ut principia indemonstrabilia et quae sunt propinqua his; quaedam vero studio hominum adinventata, ita etiam in operativis sunt quaedam principia naturaliter cognita quasi indemonstrabilia principia et propinqua his, ut malum esse vitandum, nulli esse iniuste nocendum, non esse furandum et similia, alia vero sunt per industriam hominum excogitata, quae dicuntur hic iusta legalia.»

iuris Latine idem quod Graeci δίκαιον dicunt appellari, non ergo legem aut normam peculiarem, verum rem iustam ipsam vel iustitiam, quae in Deo est rerum omnium rege perfectissima, cuiusque homines per divinam revelationem fiunt participes. Haec lex in Deo vocatur lex aeterna et unum est cum ratione divina<sup>60</sup>, quae omnia ordinavit ad finem summum, id est ad aeternam beatitudinem in caelis. Haec lex cuius inventor, disceptator, lator ipse Deus est, ita animis hominum inhaeret, ut illi qui non pareat, ipse semetipsum fugiat ac naturam hominis aspernatus hoc ipso luat maximas poenas. Omnia enim, quaecumque sunt *“participant aequaliter legem aeternam, in quantum scilicet ex impressione eius habent inclinationes in proprios actus et fines”* (I II, q. 9. a.2, respondeo), ac *“talis participatio legis aeternae in rationali creatura lex naturalis dicitur”* (*Ibid.*). Quoniam necessitudo inter legem naturalem et leges ab hominibus conditas intercedat, Thomas (*Ibid.*, a.3, respondeo) Ciceronis (*Inv.*, II 160) verbis usus pereleganter enodat: *“istae particulares dispositiones adinventae secundum rationem humanam, dicuntur leges humanae, servatis aliis conditionibus quae pertinent ad rationem legis, ut supra dictum est. Unde et Tullius dicit, in sua rhetor., quod initium iuris est a natura profectum; deinde quaedam in consuetudinem ex utilitate rationis venerunt; postea res et a natura profectas et a consuetudine probatas legum metus et religio sanxit.”* Ex his autem, quid consequatur, continuo post Angelicus Doctor collocat in aperto, cum scribat (*Ibid.*, ad primum): *“ex parte rationis practicae naturaliter homo participat legem aeternam secundum quaedam communia principia, non autem secundum particulares directiones singulorum, quae tamen in aeterna lege continentur. Et ideo necesse est ulterius quod ratio humana procedat ad particulares quasdam legum sanctiones”*. His tamen verbis: *quae tamen in aeterna lege continentur*, liquido nec per ambages apparet, esse legum fundamentum non in voluntate hominum (quae ad summum loco causae instrumentalis, ut ita dicamus, haberi potest), sed in ipsa iustitia divina (*iussum quia iustum*), ut quaevis lex illi contraria non lex sed legis corruptio (*Summa Theol.* I II, q. 95, a. 2) esse videatur. Potest enim humanus legis lator, errore inductus, iniusta iubere, sed *“quia propter incertitudinem humani*

<sup>60</sup> Cf. Th. Aq., *Summa Theol.* I-II, q. 91, a.1: «Et ideo ipsa ratio gubernationis rerum in Deo sicut in principe universitatis existens, legis habet rationem. Et quia divina ratio nihil concipit ex tempore, sed habet aeternum conceptum, ut dicitur Prov. VIII; inde est quod huiusmodi legem oportet dicere aeternam».



*iudicii, praecipue de rebus contingentibus et particularibus, contingit de actibus humanis diversorum esse diversa iudicia, ex quibus etiam diversae et contrariae leges procedunt. Ut ergo homo absque omni dubitatione scire possit quid ei sit agendum et quid vitandum, necessarium fuit ut in actibus propriis dirigeretur per legem divinitus datam, de qua constat quod non potest errare"* (*Summa Theol.*, I II, q. 91, a. 4, *respondeo*). Lex autem divina utroque Testamento continetur, brevi quadam differentia, quod temporalium rerum promissiones testamento veteri continentur, et ideo vetus appellatur, sed aeternae vitae promissio ad novum pertinet testamentum (*ibid.*, a. 5. *respondeo*). Novum autem testamentum protinus pertinet ad sacerdotium Christi (*ibid.*, sed *contra*) cum eoque artissime coniungitur. Quae omnia, quidquid distinctius Thomas de regenda civitate cogitavit<sup>61</sup>, tamen in essentialibus ad eadem ducunt, quae canonum periti docuerant id defendentes, esse legibus humanis de iustitia divinitus revelata rationem reddendam.

### Potestatis temporalis oppugnatores

At interdum, postquam anno 1277 Stephanus Tempier<sup>62</sup> episcopus Parisinus cum alios tum Thomam *naturalismo* aristotelico nimis indulgentem damnasset, mense iunio anni 1303, cum controversia inter Philippum et Bonifatium VIII summum attigisset, hortatus est rex professores Studii Parisiensis, ut Concilio faverent idcirco convocando, ut Pontifex deponeretur. Maxima professorum pars consilium principis sustinuit huiusque disputationis etiam Ioannes Duns Scotus,

<sup>61</sup> Cf. brevem conspectum apud: Fumagalli Beonio Brocchieri, Parodi, Storia. P. 412–415. Plura apud: Eschmann I. St Thomas Aquinas on the Two Powers // *Mediaeval Studies*. 20. 1958. P. 177–205; Phelan G., Eschmann I. Thomas Aquinas, On Kingship: To the King of Cyprus. Toronto, 1978 (Pontifical Institute of Medieval Studies), maxime introductionem, quam translationi Eschmann praeposuit. Dondaine F. De regno ad regem Cyprī // Thomas Aquinas. Opera Omnia. Vol. 42. (Introduct.) P. 421–444. Roma, 1979 (Editori di San Tommaso).

<sup>62</sup> Cf.: Donati S. A New Witness to the Radical Aristotelianism Condemned by Etienne Tempier in 1277 // Aertsen J. A., Speer A. (acc.) Was ist Philosophie im Mittelalter? Akten des X. Internationalen Kongresses für mittelalterliche Philosophie der Société Internationale pour l'Étude de la Philosophie Médiévale (25. bis 30. August 1997 in Erfurt). Berlin–New York, 1998 (= *Miscellanea Mediaevalia*. 26) P. 371–382; Libera A. Philosophie et censure. Remarques sur la crise universitaire parisienne de 1270–1277; *Ibid.* P. 71–89; Hissette R. Thomas d'Aquin directement visé par la censure du 7 mars 1277? Réponse à John F. Wippel // Hamesse J. (acc.) Roma, magistra mundi. Itineraria culturae mediaevalis. Mélanges offerts au Père L. E. Boyle pour son 75e anniversaire. Louvain-la-Neuve, 1999. 3 voll. (= *Textes et études du moyen âge*. 10) P. 425–437; Wielockx R. A Separate Process against Aquinas. A Response to John F. Wippel. *Ibid.* P. 1009–1030.

franciscanus, particeps fuit, cum eo tempore Parisiis doceret.<sup>63</sup> A documentis<sup>64</sup> tamen haud ita pridem editis novimus Scotum fautorem Pontificis adversus Philippum fuisse; quod quidem eo magis animum movet, quod Scotus ipse doctrinis suis perculit et infirmavit rationes pontificiae potestatis. Unde patet semina ruinae in ipsa doctrina insita fuisse. Non enim modo Dantes Aligherius poterat eâdem, qua pontificis fautores, Scriptura usus refellere<sup>65</sup> Bullam *Unam Sanctam* a Bonifatio VIII latam, verum etiam ipsi illi ordines in rebus a divo Thoma distincti, ordo scilicet naturae (*quo aliquid creatum ordinatur ad aliquid creatum*) et ordo divinus (*quo omnia creata ordinantur in Deo: Summa Th. I, qu. 21, art. 1 ad 3*) hortabantur ad distinguendam civitatem, lege naturae rectam, ab ecclesia, sub imperio legis divinae positivae collocata. Idque eo magis fiebat, quod Thomas, Aristotelem philosophum secutus, cum minus quam Augustinus instaret hominum civitatisque corruptioni post lapsum primigenium originem politiae repetebat in ipsa hominis natura, cum esset *animal sociale et politicum, in multitudine vivens*.<sup>66</sup> Hoc ipsum argumentum respicit altiusque defendit Scotus, qui quidem in *Ordinatione* (cf. praesertim *Ord. IV, d. 15, qu. 2*<sup>67</sup>), ingentia suae Pontifici oboedientiae testimonia praebet, sed scriptis et doctrina nomen terrenae potestatis a Romano Antistite inique usurpatum demonstrat.

<sup>63</sup> De commoratione Scoti in civitate Parisiis, vide: Courtenay W. J. Scotus at Paris // Sileo L. (acc.) *Via Scoti, Methodologica ad mentem Joannis Duns Scoti*. Roma (Antonianum), 1995. Vol. I. P. 149-163.

<sup>64</sup> Longpré E. Le B. Jean Duns Scot. Pour le Saint Siège et contre le gallicanisme (25-28 juin 1303) // *La France Franciscaine*. II. 1928. P. 137-162. Item vide: Dondaine A. Documents pour servir à l'histoire de la province de France. L'appel au Concile (1303) // *Archivum Fratrum Praedicatorum*. XXII. 1952. P. 381-439; Lorenzini S. Probabili motivi del rifiuto di G. Duns Scoto ad aderire all'appello al concilio contro Bonifacio VIII // Manselli D. (acc.) *Da Dante a Cosimo I. Pistoia*, 1976. P. 21-26; Lauriola G. Duns Scoto, un esempio di fedeltà alla Chiesa // Lauriola G. (acc.) *Giovanni Duns Scoto*. Bari, 1992. P. 213-219.

<sup>65</sup> Dantis, *Monarchia*, III 14 (13), 4: «cum ecclesia non sit effectus naturae, sed Dei dicentis 'super hanc petram aedificabo ecclesiam meam', et alibi 'opus consummavi quod dedisti mihi ut faciam', manifestum est quod ei natura legem non dedit [...] omnis namque divina lex duorum Testamentorum gremio continetur, in quo quidem gremio non possum temporalium sollicitudinem sive curam sacerdotio primo vel novissimo commendatam fuisse.»

<sup>66</sup> Cf.: Bellini P. *Respublica sub Deo*. P. 90. N. 18.

<sup>67</sup> Textum vide ap.: Duns Scotus' Political and Economic Philosophy, textum latinum cum versione anglica edidit A. B. Wolter, Santa Barbara (CA), 1989 [nova editio St. Bonaventure (NY), 2000].

## Ioannes Duns Scotus<sup>68</sup>

### *Potestas et ius naturae*

Ne, deitatis libertatem invincibili necessitati subiciens<sup>69</sup>, divinam maiestatem laedat, Scotus<sup>70</sup>, auctore in nonnullis Bonaventura<sup>71</sup>, redarguit refellitque notionem ordinis naturalis<sup>72</sup>, in qua culmen attigerat ille, ut ita dicamus, Humanismus S. Thomae qui simul et hominem, divinae rationis participem, supreme extulerat et Deum humana ratione quodammodo determinaverat. Scotus vero libertatem Dei integram servans, legem aeternam solo amore Dei concludit, cum leges positivas in Scripturis traditas ex voluntate deitatis libera, non ex ratione divina necessaria deducat. Iusta sunt quia iussa a Deo<sup>73</sup>, qui, cum

<sup>68</sup> Cf. praesertim: Lambertini R. Questioni etico-politiche e tradizione francescana in Giovanni Duns Scoto // Lambertini R. La povertà pensata. P. 111–139.

<sup>69</sup> Mercken P. F. Necessity and the Moral Order. Scotus's Interpretation of the "Lex naturae" in the Perspective of Western Philosophical Ethics // Bos E. P. (acc.) John Duns Scotus. Renewal of Philosophy. Acts of the Third Symposium organized by the Dutch Society for Medieval Philosophy Medium Aevum (May 23 and 24, 1996). Amsterdam-Atlanta (GA), 1998. P. 171–182.

<sup>70</sup> Cf. etiam: Foyer D. L'influence des condamnations parisiennes de 1277 sur la genèse de la doctrine scotiste de la loi naturelle // Mélanges de Sciences Religieuses. LV/4. 1998. P. 51–68.

<sup>71</sup> Gestori G. La legge naturale in san Bonaventura e il suo influsso su Duns Scoto // Pompei A. (acc.) San Bonaventura maestro di vita francescana e di sapienza cristiana. Atti del Congresso Internazionale per il VII Centenario di San Bonaventura da Bagnoregio (Roma, 19–26 settembre 1974). Roma, 1976. III. P. 245–255.

<sup>72</sup> De doctrina iuris civitatisque Iohannis Scoti, cf.: Soto A. The Structure of Society according to Duns Scotus // Franciscan Studies. XI. 1951. P. 194–212; XII. 1952. P. 71–90; De Lagarde G. La naissance de l'esprit laïque au déclin du moyen âge. 5 voll. Löwen, 1956–1970. II. P. 239–240; Lambertini R. Il consenso delle volontà: Filippo, Bonifacio e il pensiero politico del Dottor Sottile // Lauriola G. (acc.) Antropologia ed etica politica. Bari, 1995. P. 211–235; ad plures libros memoratos vide etiam opera manualia: M. T. Fumagalli Beonio Brocchieri. Il pensiero politico medievale. Roma–Bari, 2000; Dolcini C. (acc.) Il pensiero politico dell'età antica e medievale: dalla polis alla formazione degli stati europei. Torino, 2000; Miethke J. Le teorie politiche nel Medioevo. (Acc. R. Lambertini.) Genova, 2001.

<sup>73</sup> Todisco O., OFM. L'onnipotenza divina in G. Duns Scoto e in G. d'Occam. Dalla libertà di Dio al primato del singolare // Miscellanea Francescana. 89. 3/4. 1989. 416 (393–459) haec advertit: "Dunque, la potenza assoluta di Dio diventa potenza ordinata non perché si sottometta a una legge indipendente o superiore, ma solo perché realizza o decreta qualcosa, e perché passa dal possibile al fattuale, dall'indefinito al definito, grazie a quella volontà che tra gli infiniti possibili ha scelto alcuni, codificandoli. Precetti che sono tali, perché voluti da Dio, e non viceversa... il riferimento è ovviamente alla seconda tavola [...] La potenza di Dio è dunque sempre ordinata, e cioè retta, morale, nel senso che è la sorgente della morale e dunque non sottomessa ma creatrice di morale. Certo, la potenza assoluta può essere ordinata e non-ordinata, intendendo con quest'ultima, che Dio una volta che ha creato un sistema di leggi non per questo è immutabilmente e necessariamente legato a tale sistema, perché può intervenire e modificarlo in via eccezionale (i miracoli) o in linea

posset aliter iubere, quae voluit imperavit, neque omnia quae potuerat, sed ea tantum quae satis essent ad hominum salutem praecepit. Huius rei argumentum Scotus ducit e varietate legum in rebus humanis, quam S. Thomas (*In I Ethic.*, lect. 12, n. 133) explanaverat ex eo, quod homines non totam simul sed pedetemptim veritatem cognoscunt (*videtur tempus esse quasi adinventor, vel bonus cooperator*<sup>74</sup>).<sup>75</sup> Sed, cum tanta sit varietas rerum humanarum iuri naturae consonantium, ergo, sic Scotus argumentatur, lex positiva non potest oriri nisi cum voluntas e multiplicibus unam certamque elegerit formam. Unde patet legis quasi solum et fundamentum non necessitatem, sed voluntatem esse.<sup>76</sup>

generale creando un altro sistema, nel qual caso è lecito parlare di potenza non-ordinata, non però disordinata”.

<sup>74</sup> Th. Aq. Ethic. I 11, 3.

<sup>75</sup> Quid inter se differant Scotus atque Thomas in aestimatione iuris naturalis, vide ap.: Lee P. Aquinas and Scotus on Liberty and Natural Law // Proceedings of the American Catholic Philosophy Association. LVI. 1982. P. 70–78; Wald B. Die Bestimmung der “ratio legis” bei Thomas von Aquin und Duns Scotus. Zur Frage der Inkompatibilität oder Kontinuität mittelalterlicher Naturrechtstheorien // Zimmermann A., Speer A. (acc.) Mensch und Natur im Mittelalter. Berlin–New York, 1991–1992. II. P. 662–681; Honnefelder L. Naturrecht und Normwandel bei Thomas von Aquin und Johannes Duns Scotus // Sozialer Wandel im Mittelalter. Sigmaringen, 1994. P. 197–213.

<sup>76</sup> De Scoti cogitatis iuridicis v.: Stratenwerth G. Die Naturrechtslehre des Johannes Duns Scotus. Göttingen, 1951; Budzik G. De conceptu legis ad mentem Joannis Duns Scoti. [Diss. Pontificium Athenaeum Antonianum] Burlington (WI), 1954; Mañas Ruiz J. La pena de muerte a la luz de la doctrina de Juan Duns Escoto // Revista de la Escuela de Estudios Penitenciarios. XI. 1955. P. 49–56; Fassò G. La legge della ragione. Bologna, 1964. P. 96–99; De Zamayón P. La ley natural en la filosofía de Escoto // Naturaleza y Gracia. XIII. 1966. P. 315–343; Crowe M. B. Nature and Natural Law in John Duns Scotus // La filosofia della natura nel medioevo. Atti del Terzo Congresso Internazionale di Filosofia Medioevale (Passo della Mendola (Trento), 31 agosto — 5 settembre 1964). Milano, 1966. P. 485–492; Ley H. Zur Naturauffassung des Duns Scotus // Ibid. P. 528–535; Marchesi A. La conoscenza della natura nella filosofia di Duns Scotus // Ibid. P. 550–559; Gestori G. La legge naturale secondaria in Giovanni Duns Scotus // La Scuola Cattolica. XCIV. 1966. P. 402–423; Prentice R. P. The Contingent Element governing the Natural Law on the Last Seven Precepts of the Decalogue, according to Duns Scotus // Antonianum. XLII. 1967. P. 259–292; Wanke O. Duns Scotus als Naturrechtslehrer // Hoffmann F., Scheffczyk L., Feiereis K. (acc.) Sapienter ordinare. Festgabe für Erich Kleineidam. Leipzig, 1969. P. 199–231; Hartmann N. Zum Verbindlichkeitsgrad sittlicher Normen, eine Rückfrage bei Johannes Duns Scotus // Wissenschaftliche Weisheit. XLI. 1978. P. 126–149; Lauriola G. Persona umana e autorità civile, legge naturale e diritto positivo secondo Giovanni Duns Scotus // Manno A. G. Lo Stato e i cittadini. Napoli, 1982. P. 155–174; Lauriola G. Critica di Duns Scotus ad alcuni concetti del diritto naturale // Antonianum. LVIII. 1983. P. 306–335; Honnefelder L. Naturrecht und Geschichte. Historisch-systematische Überlegungen zum mittelalterlichen Naturrecht // Heimbach-Steins M. (acc.) Naturrecht im ethischen Diskurs. Münster, 1990. P. 1–27; Foyer D. Nature et liberté. Le concept de “Loi naturelle” dans la théologie morale de Jean Duns Scot. [Diss. Lille] Lille, 1998; Ragland S. P. Scotus on the Decalogue: What sort of Voluntarism // Vivarium. XXXVI. 1998. P. 67–81; Solinas S. Il Diritto naturale secondo Giovanni Duns Scotus. [Diss. Pontificia Università Lateranense]

Quod ipsum, si legimus *Ordinationem*, Scotus putat esse factum, cum homines primitus in societatem se congregaverunt. Nam, cum praeter consanguineitatis vincula, omnes inter se extraeni essent, non natura, sed consensus societatem genuit.<sup>77</sup> Ipsamque auctoritatem certis quibusdam hominibus ceteri contulerunt non propter necessitatem, nam poterant aliter bono communi providere, sed *ex communi consensu et electione ipsius communitatis*. In civitate enim, congregabantur primo multae gentes, extraneae et diversae, quarum nulla tenebatur alteri oboedire, quia nullus habuit auctoritatem super alium, et tunc ex mutuo consensu omnium propter pacificam conversationem inter se habendam potuerunt eligere unum ex eis principem, cui in omnibus — solum dum ille viveret — ut subditi oboedirent, vel quod sibi et suis succedentibus legitimis subessent.<sup>78</sup>

### Paupertas et dominium

In principiis igitur Regulae Francisci permanens, servato spiritu interpretationis Pontificum qui ante Martinum IV fuerant, Scotus docet hominibus ante lapsum omnia communia fuisse, sed ius proprietatis (cf. VI et IX praeceptum decalogi<sup>79</sup>) post peccatum esse positum, ne quod prius fuerat indicium rectae naturae, corruptis iam mentibus mortalium evaderet causa mali et ruinae.<sup>80</sup> Ius igitur proprietatis<sup>81</sup>

---

Roma, 2000; Lauriola G. (acc.) Diritti umani e libertà in Duns Scoto. Alberobello (Bari), 2000; Vos A. The Scotian Notion of Natural Law // Vivarium. XXXVIII. 2000. P. 197–221; De Boni L. A. Ley y ley natural en Duns Escoto (¿Hobbes lector de Escoto?) // Patristica et Mediaevalia. XXII. 2001. P. 90–108; Parisoli L. La philosophie normative de Jean Duns Scot: droit et politique du droit. Roma, 2001; Fassò G. Storia della filosofia del diritto. I: Antichità e medioevo. Ediz. aggiornata a cura di C. Faralli. Roma-Bari, 2001. P. 234–235.

<sup>77</sup> Lambertini R. Il consenso delle volontà: Filippo, Bonifacio e il pensiero politico del Dottor Sottile // Lauriola G. (acc.) Antropologia ed etica politica. Bari, 1995. P. 211–235.

<sup>78</sup> Cf. Iohannis Scoti, Rep., IV, d. 15, q. 4, nn. 10–11: «In civitate enim vel terra, congregabantur primo multae gentes, extraneae et diversae, quarum nulla tenebatur alteri obedire, quia nullus habuit auctoritatem super alium, et tunc ex mutuo consensu omnium propter pacificam conversationem inter se habendam potuerunt eligere unum ex eis principem, cui in omnibus – solum dum ille viveret – ut subditi obedirent, vel quod sibi et suis succedentibus legitimis subessent...».

<sup>79</sup> Prentice R. P. The Contingent Element governing the Natural Law on the Last Seven Precepts of the Decalogue, according to Duns Scotus // Antonianum. XLII. 1967. P. 259–292.

<sup>80</sup> Io. Scoti, Rep., III, d. 37, q. un.: «Decalogus non obligavit in omni statu, puta non in statu innocentiae, cum tunc lex Decalogi non esset data, et antequam non esset data, non obligavit».

<sup>81</sup> Bottin F. Giovanni Duns Scoto sull'origine della proprietà // Rivista di Storia della Filosofia. LII. 1997. P. 48.

ortum erat a voluntate hominum, qui novae conditioni quam poterant optime serviebant. At, cum usus pauper franciscanorum repeteret statum hominis primigenii, qui vivebat praeter fines iuris proprietatis et subiectionis, ergo nullo argumento iam defendebatur origo divina domini Ecclesiae in omnibus rebus.<sup>82</sup>

Quam vim habuerit Scotus apud sapientes legumque peritos aetate posteriores non possumus hic plene ostendere. Procul dubio aliquid velut olfacimus in legibus Pontificum continuo post latis. Nam, adversus abusiones pugnans, Clemens V, vel Scoto auctore, vel quod regi Gallorum faveret, in Concilio Viennensi Bullam promulgavit *Exivi de paradiso* (1312)<sup>83</sup>, quae incipit. Hanc, semel in *Clementinas* (5.11.1) inserta, cum anno 1317 ad scholas esset destinata, una cum Bulla *Exiit qui seminat*, quam superius memoravimus, et iuris periti toto saeculo XIV et Regulae interpretes pro consuetudine adhibuerunt publice aequae ac privatim. Circa eundem textum maxime inter se pugnaverunt qui, saec. XIV incipiente, aut simplicem usum facti aut severiorem proprietatis abiectioem (quem usum pauperem vocabant) institui servarique contendebant. Quibus in adiunctis, cito crevit adolevitque pars eorum, quos Spirituales, seu *Fratricellos* vocabant, quorum nonnulli, postquam ipse Ordinis pater Generalis Michael de Cesena<sup>84</sup> (1316—1328) rebellaverat, ab Ecclesia catholica defecerunt<sup>85</sup> ad Ludovicum

<sup>82</sup> Lambertini R. Il consenso delle volontà. P. 232–233, id animadversum vult: “Infine, in terzo luogo — ma è il punto che mi sta forse più a cuore — pare che sia ravvisabile nel modo in cui Duns Scoto ripensa la nascita della proprietà sullo sfondo della perdita dello status innocentiae, una significativa eredità francescana. Intendo dire che egli si riallaccia a una riflessione dell’Ordine dei Minori sul proprio statuto, una riflessione che aveva identificato la scelta francescana di povertà assoluta con un recupero, quanto allo statuto economico, di un modo di essere edenico, rinnovato prima di Francesco, solo nella comunità di Cristo e degli Apostoli. La giustificazione teorica della povertà e dell’uso dei beni privo di dominio implicava che la divisione delle proprietà non potesse essere ‘proiettata’ indietro, nello stato di natura. Se la scelta francescana aveva un senso, allora doveva essere possibile pensare come naturale per l’uomo una vita completamente distaccata dal dominio, in cui si rievocava quella dimensione comunitaria originaria, ora annebbiata dal peccato”.

<sup>83</sup> Omnia perquam erudite explorat: Bartocci A. La Regola dei Frati Minori al Concilio di Vienne e la bolla *Exivi de paradiso* di Clemente V (1312) // *Archivum Franciscanum Historicum*. 96. 2003. P. 45–84.

<sup>84</sup> Cf.: Dolcini C. Il pensiero politico di Michele da Cesena // Dolcini C. *Crisi di poteri e politologia in crisi*. Da Sinibaldo Fieschi a Guglielmo d’Ockham. Bologna, 1988. P. 147–221.

<sup>85</sup> *Conspectum quaestionis* vide ap.: Squillante L. La legge naturale e il dominium nel confronto tra Giovanni XXII e i Michelisti // *Annali del Dipartimento di Filosofia dell’Università di Firenze* 2003–2004. Firenze, 2005. P. 43–59.

Bavarum (1314—1347)<sup>86</sup>, iam pridem excommunicatione multatum, faventes fratri franciscano Petro de Corvaro, qui interea nomine Nicolai V (1328—1330) illicite ad Summum Pontificatum eVectus erat, cum regnaret in solio Petri Iohannes XXII.<sup>87</sup> At Ioannes XXII, doctorum atque prudentium consultatione<sup>88</sup>, lata Bulla *Quia nonnunquam* (1322), omnibus abrogatis normis, quaecumque a decessoribus circa paupertatem essent statutae, iussit, in proprietatem Ordinis venire bona cuncta, quae ad rem pertinerent, simplici usu Fratrum deleto. Cum autem acriter disputaretur, nova Bulla promulgata *Quia quorundam* (1324), id quoque Pontifex vetuit prohibuitque interdicens, ne quis de superiore lege vel disceptare auderet, quam statim (ope Bullae *Contra latratus* a. 1324) ad Studia Universitatesque mitti iussit, ut ubique in Europa a theologis iurisque peritis ad mentem Pontificis enarraretur coram discipulis.

Paene innumerabilia sunt opera conscripta postquam Bullae ab Ioanne XXII promulgatae in *Extravagantes Iohannis*<sup>89</sup> insertae sunt cum glossis magistri abinionensis Zenzelini de Cassanis (1330).<sup>90</sup> Quantum

<sup>86</sup> Cf.: Lambertini R. Dalla propaganda alla teoria politica: esempi di una dinamica nello scontro tra Giovanni XXII e Ludovico di Baviera // La propaganda politica nel Basso Medioevo. Atti del 38° Convegno Storico Internazionale, Todi 14–17 ottobre 2001. Spoleto, 2002. P. 289–313.

<sup>87</sup> Russo F. I Francescani Minori. P. 45.

<sup>88</sup> Omnium consilia adamussum pervestigat: Tabarroni A. Paupertas Christi et apostolorum. L'ideale franciscano in discussione. Roma, 1990. Fontes vide ap.: Duval-Aranuld L. Les conseils remis à Jean XXII sur le problème de la pauvreté du Christ et des Apostres (cod. Vat. lat. 3740) // Miscellanea Bibliothecae Apostolicae Vaticanae. III. Città del Vaticano, 1989. P. 121–201.

<sup>89</sup> Iohannis XXII, Extravagantes Iohannis XXII / Ed. J. Tarrant. Monumenta Iuris Canonici. Series B: Corpus Collectionum 6. Città del Vaticano, 1983.

<sup>90</sup> Quo tempore inter se certabant Ioannes XXII, Ludovicus Bavarus, Fratres Franciscani, Universitas Parisina, plurimi scripserunt de potestate, de optima forma civitatis, de necessitudine inter rem publicam et Ecclesiam intercedente, similibusque rebus, quae haud parum influxerunt in historia 'Magni Schismatis' (1378—1417), unde venit doctrina conciliaris. Cf.: Tierney B. Origins of Papal Infallibility 1150—1350. A Study on the Concepts of Infallibility, Sovereignty and Tradition in the Middle Ages. Leiden, 1972. P. 131–170; Eiusd. Foundations of the Conciliar Theory: The Contributions of the Medieval Canonists from Gratian to the Great Schism. Enlarged new edition. Leiden, 1998 (ed. or. Cambridge University Press, 1955); Black A. Council and Commune: The Conciliar Movement and the Fifteenth Century. London, 1979. Procul dubio conquisitiones de perfecta paupertate atque de plenitudine potestatis multum contulerunt naturae Ecclesiae altius perpendendae et investigandae in utroque iure atque in theologia philosophiaeque; super hoc cf.: Congar Y. M.-J. Aspects ecclésiologiques de la querelle entre mendiants et séculiers dans la seconde moitié du XIIIème siècle et le début du XIV // Archives d'histoire doctrinale et littéraire du Moyen Age. 36. 1961. P. 35–151.

autem Scotus auctoritate polleret apud magistros, qui post fuerunt, describere vincit vires nostras in his pagellis. Ut de ceteris taceamus, consideremus saltem Occam et Marsilium. Prior enim ille, qui dispersa velut membra doctrinae de paupertate a Seraphici Ordinis magistris in unum collegit consummavitque<sup>91</sup>, eadem fere repetens<sup>92</sup>, quae Scotus de lapsu primigenio et ortu legis positivae docuerat, regimen Ecclesiae undique reformandum voluit atque contendit.<sup>93</sup>

Marsilius denique Patavinus<sup>94</sup>, in opere quod *Defensor Pacis* inscribitur (1324), principium sumens e distinctione civitatis terrena et caelestis, quae invenitur apud Thomam, rei publicae in terris constitutae suum proprium finem, scilicet pacem, attribuerat, ut, Aristotelem secutus, civitatem, suo peculiari fine determinatam, ostenderet esse corpus sui iuris, nullo pacto alienae et superiori submissum auctoritati. Quod autem pertinet ad auctoritatem in ipsa civitate exercendam, secutus Scotum, Marsilius<sup>95</sup> quoque docet potestatem esse rem populi, quam homines simul congregati, defendendae pacis gratia, uni conferunt, qui imperium nomine omnium exercent. Unde sequitur, quod ille, qui imperat, omnino legum servus non dominus esse debet.<sup>96</sup> Ecclesia autem potestatem non potest sibi vindicare, cum instrumentum sit Magisterii, non imperii, quo cum careat, nullam habet vim coercendi, sine qua tamen nulla est lex. Etiam quantum attinet ad ius proprietatis, Marsilius cum Franciscanis stetit adversus opinionem Ioannis XXII, qui negabat fieri usum sine

<sup>91</sup> Cf.: Lambertini R. La povertà pensata: Evoluzione storica della definizione dell'identità minoritica da Bonaventura ad Ockham. Modena, 2000.

<sup>92</sup> Nunc vide: Spade P. V. (acc.) *The Cambridge Companion to Ockham*. Cambridge, UK — New York, 1999 (praesertim: Kilcullen J. *The Political Writings*. P. 302–325).

<sup>93</sup> De hoc cf.: Tabarroni A. Francescanesimo e riflessione politica sino ad Ockham // *Etica e politica: le teorie dei frati mendicanti nel Due e Trecento*. Spoleto, 1999. P. 203–230. De influxu illius Occam apud iuris peritos posteriores, vide: Grossi P. *Usus facti. La nozione di proprietà nella inaugurazione dell'età nuova* // *Quaderni fiorentini*. I. 1972. P. 287–355.

<sup>94</sup> Coleman J. *Ratio and Dominion according to John of Paris and Marsilius of Padua* // *Preuve et raison à l'université de Paris. Logique, ontologie et théologie au XIV siècle*. Éd. par Z. Kaluza et P. Vignaux. Paris, 1984. P. 65–81; Eadem. *Poverty, Property and Political Thought in Fourteenth Century Scholastic Philosophy* // *L'homme et son univers au moyen âge*. Éd. par C. Wenin, Louvain-la-Neuve, 1985. P. 845–855.

<sup>95</sup> Piaia G. *Sacerdotium et regnum in Giovanni Duns Scoto e in Marsilio da Padova* // *Marsilio e dintorni. Contributi alla storia delle idee*. Padova, 1999. P. 22–36 (primum publici iuris factum a. 1978).

<sup>96</sup> Gewirth A. *Marsilius of Padua, Defensor Pacis*. With an english trans. Toronto, 1980. P. 44–49; 61–63.



proprietate earum rerum, quae ipso usu consumi noscuntur. Marsilius vero, cum infitiaretur ius proprietatis esse iuris naturae, idemque fructum esse humanae voluntatis censeret, Pontificem et sacerdotes, ex ipso Christi praecepto, more Franciscanorum, pauperes et usu simplici contentos vivere volebat.<sup>97</sup>

### A.D. 1348

In terribili clade epidemica anni 1348 de Fratrum paupertate rursus acerrime pugnari coeptum est. Nam plurimi fuerant pii testatores, qui pro salute animae conventus vel etiam singulos viros Seraphicae religionis sodales, quorum numerus interea valde imminutus erat, heredes fecissent. His in adiunctis prodiit in lucem *Liber minoricarum decisionum*<sup>98</sup> (1354) a Bartolo Saxoferratensi conscriptus, qui id sibi proposuerat, ut, iure Romano innisus, conciliatione quadam *Decretalium*, multa variaque iubentium, cum legibus Ordinis peculiaribus facta, simul et votum paupertatis servari et testatorum voluntates executioni dari sponderet. Bartolus, qui primus iuris peritorum plane intellexit, nimis angustos esse limites veteris doctrinae quam, ut rationem redderet de forma vita Minorum, hac ipsa necessitate impulsus plura novavit in iuris prudentia, ut merito habeatur in columnis doctrinae a magistris, qui post illum fuerunt, elaboratae.<sup>99</sup>

<sup>97</sup> Marsilius, *Defensor Pacis*. P. 183–184; 196–215. Cf.: Tierney B. *The Idea of Natural Rights: Studies on Natural Rights, Natural Law and Church Law 1150–1625*. Atlanta, 1997. P. 108–118.

<sup>98</sup> In quattuor libros dispertitus: 1. de hereditatibus; 2. de legatis; 3. de executionibus ultimae voluntatis; 4. de successionibus ab intestato. Editio princeps: Bartoli de Saxoferrato, *Liber Minoricarum decisionum*. Venetiis, 1472 prelo Vindelini de Spira (Frankfurt am Main, Stadt- und Universitätsbibliothek, Inc. Fol. 299 Nr. 1, cc. 23rb-38va). Etiam nunc multa confert legenti: Jemolo A. C. *Il Liber Minoritarum di Bartolo e la povertà minoritica nei giuristi del XIII e XIV secolo // nunc ap. Eiusd. Scritti vari di storia religiosa e civile*. Cura F. Margiotta Broglio. Milano, 1965. P. 31–74.

<sup>99</sup> Rem amplissime tractavit: Feenstra R. *Les origines du dominium utile chez le Glossateurs avec un appendice concernant l'opinion des Ultramontani // Fata iuris romani*. Leyde, 1974. P. 215–259 (= Flores legum, H. J. Scheltema oblatis. Groningen. P. 49–93). Cf.: Eiusd. *Dominium utile est chimaera // Tijdschrift voor Rechtsgeschiedenis*. 66. 1988. P. 381–397. Adde: Kriechbaum M. *Actio, ius und dominium in den Rechtslehren des 13. und 14. Jahrhunderts*. Ebelsbach, 1996; Mäkinen V. *Property Rights in Late Medieval Discussion on Franciscan Poverty*. Leuven, 2001.

## Epilogus

Hic finem faciamus dicendi. Nam, postquam anno 1368 Paulus Trinci Fulginas fundamenta iecit novi Ordinis reformandi, quem, Observantiae nomine nuncupatum, Pontificibus faventibus maximeque Eugenio IV, S. Bernardinus Senensis, S. Iohannes de Capistrano, S. Iacobus de Marca saec. XV roborarunt ac diffuderunt, disputatio de paupertate, quae doctissimorum contentiones dissensionesque deseruerat, desiit e finibus Seraphicae religionis excedere. Attamen saepe homines, qui post fuerunt, quae saeculis XIII et XIV doctores acerrime excogitaverant, retentaverunt neque, utut Antiquitatis studio altissime imbuti, oblivioni penitus dederunt aut Scotum, excellentiae voluntatis<sup>100</sup> assertorem, aut Occam, liberii arbitrii defensorem strenuissimum.<sup>101</sup>

<sup>100</sup> Parisoli L. *Volontarismo e diritto soggettivo. La nascita medievale di una teoria dei diritti nella scolastica francescana. Prefazione di A. Padovani. Roma, 1999.*

<sup>101</sup> Videatur licet paradoxon, uti Graeci aiunt, tamen ipsi Mediae Aetatis doctores de temporali potestate disceptantes, magis terrenas quam caelestes res in controversiam adduxerat, cum omni nisu indagavissent commercium hominis vatoris cum rebus terrenis sub specie acquisitionis, usus, possessionis, dominii. Neque casu fit, ut post Concilium Lateranense IV (1215) admodum pauci inveniantur, qui scripserint de contemptu mundi, quod thema, prius tam commune, ab ipsis humanistis saepius tractatum sit, usque ad Gravinam. Itaque doctores illi velut campum apparaverat, ubi viri docti saeculi XV pugnam committerent contra ipsos superioris aetatis magistros. Cum Laurentius Valla, ut exemplum afferamus, incepit desturere arbitrium Pontificum, qui ob Donationem Constantini, sibi Imperium vindicabant, re quidem vera innitebatur optima iuris publici doctrina, quam legum periti saeculi XIV elaboraverant, in quibus primas partes egerat Bartolus Saxoferratensis, cuius principium : civitas superiorem non recognoscens est sibi princeps, ortum in Gallia, ob dissensiones Bonifati VIII et Philippi, radices immittebat in glossam a Marino de Caramanico Constitutionibus Siculis Friderici II appositam, quam longe lateque Andreas de Isernia diffuderat. Porro, Laurentius Valla in unum colligens et hoc principium de superiore potestate, et doctrinam Scoti de libero arbitrio hominis sui compositis in finibus terrenis eligendis et perficiendis, atque de principatu voluntatis quae se agendo determinat, reicit notionem Potestatis Pontificiae, quippe quae exerceatur inique in homines invitos. Omnes legerunt ardentem sententiam quam Romani Pontifici opponit in *De falso credita et ementita Don. Const.* : At tu gubernare invitos vis, quasi pupilli simus qui te ipsum sapientius gubernare possemus. Cuius sententiae fundamentum, praeter vehementiam oratoris, rursus in Bartoli opinione invenitur, sed apud Vallam coniungitur cum vivaci experimento libertatis in libera civitate florentina, cuius exemplar optimum Laurentius ponit in re publica Romanorum, quae orta erat ex communi liberoque consensu hominum, qui semel in unum congregati imperium, quod toti simul detenerent, uni soli commiserant, qui ipsorum nomine civitatem regeret et leges conderet, quibus omnes subicerentur, ut hoc ipso liberi fierent. At interea adiuncta valde immutata erant. Super ea, quae saeculo superiore disputata erant de voluntate ac de libero arbitrio, in modum novae lymphae descendit veterum auctorum cultus. Cum libertate, Coluccio Salutati doctore, inextricabili iam nexu coniungitur virtus, quae tamen, semel reiecta doctrina de origine legum divina, non amplius cum mera ratione congruit, sed potius designat vim quam natura in omnibus animantibus, sicut iam docuerat Ulpianus, exercet. Sic enim F. Filelfus edixerat : Non enim ratione solum, sed etiam vi naturae omnia feruntur ad finem suum.

Sititores novitatis nescio annon expleverim relatu meo, non enim penitus obscura tradidi, quae doctos homines undique laterent. At non illud nobis fuerat praestitutum; immo nihil minus ad huius florilegii causam pertinebat, quam si orator, in lectorum doctrina tam multiplici variaque scripturus, ea demum agitanda sumpsisset, quae non nisi cultores iuris exquisitissimos movere poterant. Illud potius voluimus, quantulumcumque in nobis fuit, ostendere, quantum Latinitatis campus longe lateque pateret, cuius subsidio valent doctores tot disciplinis addicti, tam vetustae antiquitatis monumentis adsidentes, nonnihil luminis inferre in radices, quae genuerunt hanc aetatem, ut tam magno saeculorum intervallo potius coniungi cum veteribus illis viris, quam seiungi videamur.

*Pontificia Universitas Lateranensis,  
In Civitate Vaticana*

---

Quae sententia intellegi debet intra saepta disputationis ortae, postquam Leonardus Bruni, cum anno 1417 Ethica ad Nicomachum Aristotelis in latinum convertisset, Epicurum vituperavit, qui hominis bonum in voluptate collocasset. Cui respondit Filelfus in Epistula ad Bartholomaeum Fracanzanum anno 1428 data: Si bonum est secundum Aristotelem quod omnia appetunt, num minus omnia quae sensu moventur a natura appetunt voluptatem? Quod autem est secundum naturam, num id bonum non sit? In re disputanda haud parum valuit Lucretius Caro, cuius poema de rerum natura in lucem attulerat Poggius anno 1418. Exercitium interpretationis poetae induxerat humanistas ad relegendos veteres scriptores, maxime Ciceronem, ut, collectis Epicuri sapientiae frustulis, lucidius sententiae Lucretii manifestae fierent. Propterea priores duos libros de Voluptate a L. Valla conscriptos fere ad litteram a Ciceronis de finibus derivatos videmus. Sed necsitas haec grammatica secum tulerat profundam contentionem inter sapientes de moribus et virtute. Contentiones dissensionesque adversus stoicam nationem originem habuerunt circiter a. 1431, cum Cosmas Raimondi, reiecta stoicorum virtute, quae cum plene a nullo homine comparari posset, hoc ipso naturae adversa reputabatur, summam in voluptate constitutam felicitatem esse contendit. Ita Epicuri in pristinam dignitatem restitutionem, quam Boccaccius inceperat, ille Bruni, aliqua ex parte, Fr. Filelfus, Cos. Raimondi persecuti erant, ad fastigium attulit L. Valla, qui in voluptate Epicuri, quae non est vilis illa libido, sed plena animae corporisque concinnitudo et quasi conspiratio, invenerat rationem philosophicam illius principatus voluntatis, quem acceperat a Ioanne Scoto. Libera enim hominis voluntas non potest fine quodam iam antea constituto contenta esse, sed appetit statum, in quo ipsa sibi fines eligat, proponat, comparet. Cf. saltem : Ullmann W. Medieval Foundations of Renaissance Humanism. London, 1977.

*Alexii Haliaeeti (qui et Belikov) Eugenii f.*

## **De Michaelis Humileusky carmine a. D. 1778 edito**

Occasione benigne data carmen neolatinum a poeta Ruteno conscriptum ac temporis decursu oblitum iterum in lucem edere velimus. Sed primum de auctore ejus quaedam verba facienda nobis sunt.

Michael Humileusky (1747—1792), cui nomen monasticum Moyses datum est, episcopus Theodosiae et Mariupolis, vicarius episcopatus Catharinoslaviae, natus est a. D. 1747 Basiliopoli (Vladimir), in urbe celeberrima, ibidemque seminarium frequentabat. Anno 1774 in Academiam Moscoviensem migravit, ubi anno 1777 magister linguae graecae atque hebraicae factus est. Anno insequenti artem poeticam docebat, deinde vero votum religiosum fecit. Tunc scholas rhetoricae et philosophiae recitabat.

Anno vero 1786 praefectus Academiae creatus est idemque censor ecclesiasticus librorum, qui in typographeis liberis ederentur. Sed duobus annis post duce illo Potemkin imperante in legiones Moldavicas munere hieromonachi militaris vocatus est. Etiam archimandrita, postea vero episcopus nominatus est. Haud diu tamen fungebatur muneribus his novis, cum anno 1792 obscuris de causis mortuus est. Fama per urbes vagabat eum ipsum letum sibi conscivisse mortis patroni sui Potemkin causa; multi idemque praeclari viri nomen ejus defendere et purgare conati sunt: Augustinus Vinogradsky carmen latinum, quo Humileusky a latronibus necatus esse narratur, composuit et in lucem edidit.

Vivus multa interpretatus est, quaedam suo Marte scripsit. Sunt, qui dicant eum Odyssean soluta oratione interpretatum esse. Inveniuntur quoque carmina latina haud pauca ab illo conscripta, imprimis vero versus ad Academiae Moscoviensis directorem archiepiscopum Platonem laudandum. Cujus generis exemplum annotatiunculis nostris instructum orthographia originali servata nunc adducimus.

EMINENTISSIMO DOMINO DOMINO PLATONI SACROSANCTAE  
SYNODI RVSSICAE MEMBRO DIGNISSIMO, DIOECESEOS  
MOSQVENSIS ET KALVGENSIS ARCHIEPISCOPO, EIDEMQVE LAVRAE  
SS. TRINITATIS SANCTIQVE SERGII HIERO-ARCHIMANDRITAE,  
ACADEMIAE MOSQVENSIS DIRECTORI PROTECTORIQVE OPTIMO,  
FELICEM FAVSTVMQVE PETROPOLIM DISCESSVM SINCERISSIMO  
ANIMO OPTAT ACADEMIA MOSQVENSIS ANNO 1778. DIE 14  
FEBRUARII. TYPIS VNIUERSITATIS CAESAREAE MOSQVENSIS.

Purpureas Aurora fores jam pandit ab ortu,<sup>1</sup>  
Educitque diem secum terraeque marique.<sup>2</sup>  
Improba siste pedem;<sup>3</sup> properas quo? dispice primo.  
Dispice; moesta tuis est lux, quam ducis, amicis.  
Scilicet illa dies, qua Te discedere, Pastor, 5  
Noscimus a nobis, sacrique cacumine Pindi.<sup>4</sup>  
Pone viam, mentemque muta, nobisque morare!  
Nemo Tuum fert non animo squallente<sup>5</sup> recessum :  
Adspicis, vt Musae, posita testudine dulci,  
De pratis Heliconis eunt, intusque penates 10  
Corde ex adflicto promunt Tibi tristia verba:<sup>6</sup>  
Pone viam, mentemque muta, nobisque morare!  
Conspicis, vt Tibi grex creditus per numina coeli,  
Mente dolens,<sup>7</sup> lingua titubans,<sup>8</sup> fert pectore voces:<sup>9</sup>

<sup>1</sup> \*perspicit, ecce vigil nitido patefecit ab ortu / purpureas Aurora fores et plena rosarum / atria... (Ov. Met. II 112).

<sup>2</sup> eque tot ac tantis caeli terraeque marisque... (Ov. Met. II 96) ; quae nos, reliquas Danaum, terraeque marisque... (Verg. Aen. I 598); defletosque duces terraeque marisque labores... (Val. Fl. V 575); duceret, hic casus terraeque marisque canentem... (Stat. Theb. III 519).

<sup>3</sup> si piget, in primo limine siste pedem (Ov. Rem. Am. 80).

<sup>4</sup> aut cur Perrhaebi tremuere cacumina Pindi (Prop. III 5, 33).

<sup>5</sup> Cf.: Erat igitur in luctu senatus, squalebat civitas, publico consilio veste mutata (Cic. Sest. 32); Luget senatus, <...> squalent municipia, afflictantur coloniae (Cic. Mil. 20).

<sup>6</sup> tum vero coniunx umeris abeuntis inhaerens / miscuit haec lacrimis tristia verba suis... (Ov. Trist. I 3, 79 sq.).

<sup>7</sup> mente dolet patria... (Ov. Met. XII 582).

<sup>8</sup> haec ubi sum furtim lingua titubante locutus... (Ov. Trist. III 1, 21); talia verba refert tremulis titubantia labris... (Calp. Ecl. 5, 4).

<sup>9</sup> Pectore voces in fine apud Verg. Aen. V 409; Id. 482; Id. XI 377; Id. 840; Val. Fl. I 504; Id. VI 496; Id. VII 308; Catull. 64, 125; Id. 202; Ov. Met. XV 657; Luc. II 285; Id. IX 255; Id. 565; Stat. Theb. X 189; Id. Achil. I 887.

Pone viam, mentemque muta, nobisque morare!	15
Mitte viam, PLATO, cum grege, cum Musisque maneto.	
Quid loquor? <sup>10</sup> ah perdo non proficientia verba. <sup>11</sup>	
Pastor abis: sic numina, quae mortalia curant, <sup>12</sup>	
Sic ea, quae septem moderatur fraena Trionum, <sup>13</sup>	
Constituit, celsi repetas vt culmen Olympi, <sup>14</sup>	20
Intersisque iterum Tu conciliis ibi Diuûm,	
Nos vt ab arce poli <sup>15</sup> conserues more Deorum,	
Prospiciasque magis nostrae, Pindique saluti;	
Maius vt et decus affundas nomenque Camoenis.	
Sic statuunt isti: Tibi iussa capessere fas est. <sup>16</sup>	25
Carpe viam <sup>17</sup> felix, tutus, PLATO, numine dextro <sup>18</sup>	
Vade lubens; quia sic voluerunt Astra benigna;	
Muneribus redeas nobis maioribus auctus.	

*Poeseos Graecaeque Linguae Magister*

Michael Hvmilevski

<sup>10</sup> \*quid loquor, ah, demens? ipsam quoque perdere vitam / Caesaris offenso numine, dignus eram! (Ov. Trist. V 10, 51 sq.); quid loquor? aut ubi sum? quae mentem insaniam mutat? (Verg. Aen. IV 595).

<sup>11</sup> \*verba miser frustra non proficientia perdo (Ov. Trist. I 2, 13).

<sup>12</sup> nec curare deum credis mortalia quemquam (Verg. Ecl. 8, 35); ... mortalia nulli / sunt curata deo ... (Lucan. VII 454 sq.); Mitte archana dei caelumque inquirere quid sit; / cum sis mortalis, quae sunt mortalia cura (Dion. Cato Distich. 2, 2).

<sup>13</sup> Raro in tmesi: nostri Septem soliti vocitare Triones (Cic. N. D. II 105, 10, Arati Phaenomena); proxima sunt Zephyro; Scythiam septemque triones... (Ov. Met. 1, 64); gurgite caeruleo septem prohibete triones... (Ov. Met. II 528); talis Hyperboreo Septem subiecta trioni... (Verg. Georg. III 381); diuisam esse' rectum erat, sed durum et incomptum. Poetae quidem etiam uerborum diuisione faciunt transgressionem: "Hyperboreo septem subiecta trioni," quod oratio nequaquam recipiet (Quint. Inst. VIII 6, 66).

<sup>14</sup> Emathio celsum duplicabat vertice Olympum (Verg. Cir. 34).

<sup>15</sup> primus in Arctoi qui fuit arce poli... (Mart. Spect. 15, 4).

<sup>16</sup> \*...explorare labor; mihi iussa capessere fas est (Verg. Aen. I 77).

<sup>17</sup> carpe viam, mihi crede, comes, terrestria quando... (Hor. S. II 6, 93); carpe viam, donec venias ad fluminis oras (Ov. Met. XI 139).

<sup>18</sup> nunc aliam prolem mansuraque numine dextro... (Stat. Theb. VI 49); noctis, adhuc optas permissaque numine dextro... (Stat. Silv. I 2, 32).

*Evae Ianzinae (Yanzina) Vencesclai f.,  
Helgi Cornelii (Kornejev) Valentini f.*

## **Quid vocabulorum palaesticorum scientia ad scriptores Graecos recte intellegendos conferat (exemplis Pollucis Onomastici (III 155) et Plutarchi Quaestionum convivalium (638 f))**

Cum artem athleticam vocabulaque ejus apud Graecos semper multum valuisse nemo negare possit, haec materia usque adhuc a nostrae aetatis viris doctissimis magna ex parte neglecta est. Qui autem hanc rem diligentius tractasse videntur, ut Eduardus Normannus (Norman) Gardiner, Brunus Schröder, Julius Jüthner, Guarnerius Rudolf, Michael Poliakoff ceterique,<sup>1</sup> in vocabulis palaesticis explicandis atque omnibus, quae ad ea pertinent, plurimas quaestiones, quibus difficilior explanatio esset, exoriri saepe confessi sunt. Quae de causa recentioris aetatis interpretationes atque commentarii, quin etiam, ipsi scriptorum antiquorum libri nuper editi variis mendis atque erratis abundant. Ut ista vitia quodammodo sanentur, excerpta Pollucis Onomastici (III 155) atque Plutarchi Quaestionum convivalium (638 f), quae secundum Mi. Poliakoff, virum in athletica antiqua investiganda versatissimum harumque rerum scriptoremque cum recentissimum clarissimum, interpretatu sint difficillima,<sup>2</sup> in hoc opusculo

---

<sup>1</sup> Gardiner E. N. *Athletics of the ancient world*. Oxford, 1930; *The pankration and wrestling* // *Journal of Hellenic Studies*. XXVI. London, 1906. P. 4–22; *Wrestling* // *Journal of Hellenic Studies*. XXV. London, 1905. P. 14–31, 263–293; Schröder B. *Der Sport in Altertum*. Berlin, 1927; Jüthner J. *Philostratos über Gymnastik*. Leipzig und Berlin, 1909; Jüthner J., Brein F. *Die athletischen Leibesübungen der Griechen*. Österreichische Akademie der Wissenschaften. Philosophisch-historische Klasse. Sitzungsberichte. 249. Bd. 1. Abhand. Wien, 1965; Rudolph W. *Olympischer Kampfsport in der Antike*. Faustkampf, Ringkampf und Pankration in den griechischen Nationalfestspielen. Berlin, 1965; Poliakoff M. B. *Combat sports in the ancient world: competition, violence and culture*. New Haven and London, 1987; Poliakoff M. B. *Studies in the terminology of the Greek combat sports*. Beiträge zur klassischen Philologie. Heft 146. Königstein/ Ts., 1982.

<sup>2</sup> Poliakoff M. B. *Studies in the terminology of the Greek combat sports*. P. 1.

explicantur. Nam in illis excerptis multa vocabula a luctatu et pancratio<sup>3</sup> sumpta continentur, quae ad alios scriptorum Graecorum, ut Homeri Aeschyli, Pindari Aristophanis, Platonis Theophrasti, Theocriti Luciani, ceterorumque locos recte interpretandos maxime utilia sunt.

Haec sunt illa excerpta, quorum alterum apud Pollucem, alterum apud Plutarchum invenimus.

ἄγχειν, στρέφειν, ἀπάγειν, λυγίζειν, ἀγκυρίζειν, ῥάσσειν, ἀνατρέπειν, ὑποσκελίζειν. καὶ πλαγιάζειν δὲ καὶ κλιμακίζειν παλαισμάτων ὀνόματα· μοχθηρὸν γὰρ τὸ μεσοπέρδην ἐν τῇ κωμωδίᾳ σχῆμα παλαισματος. ἤδη δὲ τινες τοὺς γυμνικοὺς ἀγῶνας σεμνότερον Ἡρακλείους ἀγῶνας ἐκάλεσαν. 'αὐτο δ' ἀγών', καὶ ἔστω τέλος τοῦ βιβλίου.<sup>4</sup>

μόνους δὲ τοὺς παλαιστὰς ὁρῶμεν ἀλλήλους ἀγκαλιζομένους καὶ περιλαμβάνοντας· καὶ τὰ πλείστα τῶν ἀγωνισμάτων, ἐμβολαί, παρεμβολαί, συστάσεις, παραθέσεις, συνάγουσιν αὐτοὺς καὶ ἀναμιγνύουσιν ἀλλήλοις. διὸ τῷ πλησιάζειν μάλιστα καὶ γίνεσθαι πέλας οὐκ ἄδηλόν ἐστι τὴν πάλην ὀνομάσθαι.<sup>5</sup>

Horum omnium vocabulorum, quae in Pollucis et Plutarchi excerptis videmus, alia plus minusve perspicue interpretari possumus atque in hoc opusculo nostro imaginibus athletarum antiquorum demonstrandi causa illustramus, alia autem usque adhuc certam interpretationem non habent.

Primo ea vocabula enodamus, quorum vim significationemque propriam et usum distincte intellegimus:

ἄγχειν — strangulare (tab. 1; vide quoque: Lucian. Anach. 1; 24; Philostr. im. I 6 et al.);

στρέφειν — ad adversarium abjiciendum corpus vertere (tab. 2; cf. τὴν ἔδραν στρέφειν, ἔδρροστρόφοι, περιστρέφειν; vide quoque: Pind. Nem. 4, 93; Plat. resp. 504 c; Theophr. char. 27, 14; Theocr. id. 24, 111; Genes. Reg. IV 26);

λυγίζειν — nodos adversarii evadere (cf. λυγισμός; vide quoque: Lucian. Anach. 1; 24; Philostr. im. II 32; Theocr. id. 1, 97–98; Plat. resp. 504 c; Aristoph. ra. 774–776);

<sup>3</sup> Pancratium (sive pammachium) est ars athletica, in qua certantibus cum luctari (ut in luctatu) tum verberare (ut in pugilatu) licet.

<sup>4</sup> Pollux (Iulius). Onomasticon / Ed. E. Bethe. Pollucis onomasticon. 2 tt. Lexicographi Graeci 9.1–9.2. Lipsiae, 9.1: 1900, 9.2: 1931; ed. anastatica Stutgardiae, 1967.

<sup>5</sup> Plutarchus. Quaestiones convivales, De sollertia animalium / Ed. C. Hubert // Plutarchi moralia. Tt. 4, 6.1. Lipsiae, 4: 1938, ed. anastatica 1971; 6.1: 1954, ed. anastatica 1959.



ἀγκυρίζειν — *poplite adversarium abjicere* (cf. ἀγκύρισμα; vide quoque: Aristoph. eq. 261–263; Sch. Aristoph. eq. 262 c; Suda α 261; Hesych. α 582);

ὑποσκελιζειν — *supplantare* (tab. 3; vide quoque — Lucian. Anach. 1; Plat. Euthyd. 278 b et al.);

πλαγιαζειν — *pede crureve obliquum dare* (tab. 4; cf. παραπλαγιασμός, παρακαταγωγή, μεταπλασμός; vide quoque: Hom. Il. XXIII 729–731 et Sch.; Eustath. comm. ad Hom. Il. IV 826)

κλιμακιζειν — *tergo inhaerens strangulare* (tab. 5–5a; cf. κλίμαξ, κλιμακισμός, πλίγμα, πλίσσεισθαι; vide quoque: Soph. Trach. 520–522; Philostr. im. I, 6; Lucian. Anach. 1; Gal. sa. tu. VI, 143; Anth. Gr. XII, 222; Paus. VIII, 40, 2; Hesych. δ 1053, κ 2994, 1342, π 1807, 2600; Suda δ 583);

μεσοπέρδην — *medium adversarium capiendo* (tab. 6; cf. μεσοφέρδην, μεσοφέρδειν; alii id adverbium ex comoedia sumptum et paene obscenum quasi ex πέρδομαι — *pedere* (Poll. loc. cit.; Com. adesp. frg. 1078), alii autem μεσοπέρδην/ μεσοφέρδην (quasi ex μέσον [τὸν] φερόμενον) eandem significationem habere atque artis vocabula μέσον λαμβάνειν<sup>6</sup>, μεσολαβειν<sup>7</sup>, μέσον ἔχειν<sup>8</sup>, διαλαμβάνειν<sup>9</sup> putant.

συστάσεις — *stationes adversae* (tab. 7; cf. συστάται/ συνστάται; vide quoque: Hom. Il. XXIII 711–713 et Sch.; IG<sup>2</sup> 2–3.2, 2023; Eur. Hipp. 983–984; Luc. Anach. 1; Philostr. vitae soph. I 526);

παραθέσεις — *stationes obliquae* (tab. 8; cf. παρατιθέναι; vide quoque: Epict. diss. ab Arr. dig. III 26, 22; Pap. Oxy. III 466);

ἐμβολαί — *impetus a fronte* (tab. 9–10; cf. ἐμβάλλειν; vide quoque: Ps.-Lucian. asin. 10; Anth. Gr. XII 206);

παρεμβολαί — *crura adversarii planta sua lacessere* (tab. 8; vide quoque: Lucian. Ocyr. 60–61, Ps.-Lucian. asin. 10; Aeschin. Ctes. 205–206).

Reliqua vocabula in illis excerptis, ut ῥάσσειν (modo aliquo abjicere), ἀνατρέπειν (fortasse pede abjicere), ἀπάγειν (modo aliquo abjicere), usque adhuc obscura manent.

<sup>6</sup> Anth. Gr. XII 206 (cp. 222); Ps.-Apollod. bibl. 2, 125; Schol. Aristoph. Ach. 571 a–b, nub. 1047, ran. 469 et al.


<sup>7</sup> Nilus (PG LXXIX 1049); Schol. Aristoph. eq. 388 a; Etym. Magn. 648 et al.

<sup>8</sup> Schol. Aristoph. Ach. 571 a–b, eq. 388.

<sup>9</sup> Aristoph. eq. 262 et Schol.; Schol. Aristoph. eccl. 1090; P. Oxy. III 466, 28; Plut. Ant. 33; Gal. sa. tu. VI 141–142; Hesych. δ 1108.

## TABULAE

Tab. 1. Hercules Tritonem  
strangulat (artis  
vocabulum: ἄγχειν).  
Amphora. Londinii, in  
Museo Britannico, B 223.



Tab. 2. Luctator dexa manu lacertum  
adversarii, sinistra autem manu corpus  
ejus prehendit atque ad adversarium  
abjiciendum corpus suum vertit (artis  
vocabulum: τὴν ἔδραν στρέφειν).  
Theatrum Delphicum. Saec. III ante  
Chr. n.



Tab. 3. Athleta a dextra adversarium supplantat (artis vocabulum: ὑποσκελίζειν), ille autem impediendo medium adversarium suum capit. Stamnos. A. 520 ante Chr. n. Romae, in Museo Vaticano.



Tab. 4. Athletae ad sinistram a iudice. Athleta a sinistra medium adversarium suum capit et ad abjiciendum eum tollit, adversarius ejus autem impediendo collum adversarii prehendit et crure dextra obliquum dat (artis vocabulum: πλαγιάζειν). Amphora Attica. A. inter 550 et 500 ante Chr. n. Monachii. 1461.




Tab. 5. Opus tessellatum Tusculanum Caesaris aetate. Romae.




Tab. 5a. Athleta tergo adversarii inhaerens eum strangulat (artis vocabulum: κλιμακίζειν).

Tab. 6. Luctorator a dextra medium adversarium suum capit (termini technici: μέσον λαμβάνειν, μεσολαβεῖν, μέσον ἔχειν, διαλαμβάνειν, μεσοπέρδην). Nummus Alexandrinus Antonini Pii aetatis. Londinii, in Museo Britannico.






Tab. 7. Statio adversa (artis vocabulum: σύστασις). Amphiarai amphora. Berolini.



Tab. 8. Theseus et Cercyo.  
Statio obliqua (artis vocabulum:  
παράθεσις). Cylix Attica. A. 430  
ante Chr. n. Londinii, in Museo  
Britannico, E 84.

Tab. 9. Impetus a fronte  
 (artis vocabulum: ἐμβολή).  
 Amphora. A. 550 ante Chr. n. In  
 Tarquiniorum Museo.



Tab. 10. Theseus et Cercyo (in media parte). Impetus a fronte  
 (artis vocabulum: ἐμβολή). Cylix. Saec. V ante Chr. n. Florentiae.

*Iosuae Klein*

## **De narratologia in inquisitiones philosophorum litterarum introducenda**

Narratologia ab Irene De Jong Profestrice Amestelodamensi in litteras antiquas introducta maximi momenti haberi debet. A praeteritorum decenniorum viris doctis hae res valde neglegebantur. Pravum quidem atque indignum esset dicere eos narratologia omnino non usos esse, sed fere non usos probandum est. Pro virili ergo parte enitatur, ut ea, quae de recentibus litteris praecipiantur, complectamur et in nostras res inducamus. Quae omnia ipsa rei inventrix satis bene exposuit.<sup>1</sup>

Opusculum nostrum de aliquot causis est conscriptum. Primo, litterae quaecumque variis de causis Latine sunt tractandae.<sup>2</sup> Deinde, in opere ipso ab Irene De Jong prolato fiunt nonnullae mentiones de eo, quomodo narratologia sit philosophorum scriptis implicata, nec, sicuti alia scriptorum genera, in fine<sup>3</sup> exempli gratia tractatur. Propositum nostrum est, ut gravissimis narratologiae praeceptis in Latinum conversis, idonee commemoratis, breviter explicatis, Platonis operis, quod Convivium inscribitur, exemplis adductis,<sup>4</sup> remedium ex his reperiamus.

Convivii modo narrandi praesertim irritatur studium atque inquirendi ardor, cum unicam narratorum condicionem praebet: primum est dialogus considerandus, deinde Apollodorus ab amico

---

<sup>1</sup> Jong I. J. F. de. *Narratology and Classics. A Practical Guide.* Oxonii, MMXIV. P. 3–15.

<sup>2</sup> Quare autem narratologia mihi tam cordi esse videtur, ut nostrae linguae communi adductu dignam opinor? Narratologiae enim ars optima praebet praecepta, quibus omnia scripta facillime examinantur. Quod iam in scholis per pueri discutunt grati, cum quaevis quaecumque lingua scripta leviori modo legant. Mea autem sententia etiam in scholis lingua Latina viva disci voce debet. Itaque, ut uno igitur in saltu duos apros capiamus, praebentur hic omnia necessaria.

<sup>3</sup> De Jong. P. 135–223.

<sup>4</sup> Hac in symbola fieri quidem non potest, ut omnino lateque Convivii narratologiam perscrutemur, verumtamen satis exemplorum dabitur. Alio autem loco totus erit nobis dialogus tractandus.

interrogatus respondet. Qui tum convivium quoddam, cui Socrates etiam interfuisse videtur, oratione plerumque obliqua necnon recta,<sup>5</sup> quid de qua re audiverit, refert.

## 1. De narratore atque lectore

### 1.1 De auctore atque narratore<sup>6</sup>

Principio, aperte quidem et facillime intellegitur, tamen oportet plane dicere, auctorem esse eum, qui scriptum scripsit, narratorem autem eum, cuius voce quodam modo et imprimis conspectu lector<sup>7</sup> omnia legendo comperit. Non idem confestim auctor ac narrator erit considerandus. Auctor enim narratorem, sicuti, quae in fabula agit, persona, ipse quodam modo fingit, sive consilio, sive invitus.<sup>8</sup> Utrum Musas convenit Hesiodus ipse, an eius operis narrator?<sup>9</sup> Non modo vox quaedam videtur, verum animus etiam omnibus de rebus narratis et quid sentiat aperiri. Deinceps, quo pacto dialogi narrator intellegi possit, erit deliberandum.

### 1.2 Quis sit narrator<sup>10</sup>

Hic primum videre oportet, num is, qui narrat, ipse sit fabulae argumento implicatus necne.<sup>11</sup> Deinde necesse erit de eius ordine quaerere. Primi ordinis narrator est is, qui principio plerumque narrat. At licet rerum gestarum reddat partes quibusdam, qui ut hoc modo secundi ordinis narratores facti oratione, i.e. suis verbis, narrent. Eodem modo illi denuo idem efficere possunt, ut fiat terti ordinis narrator, et sic porro.

Tum, utrum narrator aperte se narratorem dicat an, quis sit, nullo verbo vel obscure commemoret, erit animadvertendum.<sup>12</sup> Quae denique

<sup>5</sup> Patet obliquam quidem orationem apud Atticos minus valere quam apud Romanos, verbo "ἔφη" saepe interposito ut aliquatenus directa fiat oratio.

<sup>6</sup> De Jong. P. 17–19.

<sup>7</sup> Eo iam loco paulum, qui vocem "Narratee" praeferat, appellandi modus Anglicus, ut res per se cognoscatur et nostrae linguae communi commodius, est huiusmodi mutandus. Cum de eo, cui narratur, hic agitur pro quo nonnumquam de "nobis" tantum, quoniam nihil sumus aliud ac lector.

<sup>8</sup> De Jong. P. 17.

<sup>9</sup> Hesiodus, Theogonia 22 sq.

<sup>10</sup> De Jong. P. 19–28.

<sup>11</sup> De Jong. P. 19: "internal narrator" et "external narrator".

<sup>12</sup> De Jong. P. 26 sq.: "overt narrator" et "covert narrator".



omnia nequaquam separatim singillatimque sunt consideranda, sed una cum iis, de quibus deinceps erit praecipendum.

Quod ad nos Platonis dialogos perscrutantes attinet, secundum De Jong primi gradus narrator vix decerni potest,<sup>13</sup> qui cum sit comperendus is, qui praesertim Apollodoro necnon eius amico secundo gradu narrantibus vocem dat. Hoc quamquam ita est, aliquis quodam modo adest, videlicet qui dicendi ordinem constituat, quique primi ergo ordinis narrator haberi debetur.

Apollodorus autem primum ab amico interrogatus secundi ordinis narrator ei narrat, quid alio amico, Glauconi rettulerit. Huic fabulae, quoniam interfuit, est implicatus.

Atque, qui cum sua in fabula denuo narret, proximo narrandi ordini, i.e. tertio, accedit. Quod Apollodorus autem ipse oratione tum imprimis obliqua de convivio, cui non ipse interfuit, multa, quae ab Aristodemo et Socrate ipso audiverit, praefert, propterea tertii gradus narrator, qui fabula non implicatus est, habendus est, ad hunc modum:

Ἐφη γάρ οἱ Σωκράτη ἐντυχεῖν λελουμένον τε καὶ τὰς βλαύτας ὑποδεδεμένον, ἃ ἐκεῖνος ὀλιγάκις ἐποίηε καὶ ἐρέσθαι αὐτὸν ὅποι ἴοι οὕτω καλὸς γεγεννημένος.<sup>14</sup>

Quo autem loco etiam intellegitur quarti gradus narrator, Aristodemus, fabula implicatus esse, cum oratione obliqua feratur dixisse se Socraten convenisse.<sup>15</sup>

Cum Aristodemi autem verbis citantur ii, quibus Apollodori narrationi intersunt, quinti gradus quoque narratores fiunt, hoc modo:

“...ποιήσας γὰρ τὸν Ἀγαμέμνονα διαφερόντως ἀγαθὸν ἄνδρα [c] τὰ πολεμικά, τὸν δὲ Μενέλεων “μαλθακὸν αἰχμητήν”, θυσίαν ποιουμένου καὶ ἐστιῶντος τοῦ Ἀγαμέμνονος ἄκλητον ἐποίησεν ἐλθόντα τὸν Μενέλεων ἐπὶ τὴν θοῖνην, χεῖρω ὄντα ἐπὶ τὴν τοῦ ἀμείνονος.”<sup>16</sup>

Socrates ab Aristodemo fertur talia dixisse inter Homeri verba allata locum apertius explicans atque fabulam quidem parvam proferre.

<sup>13</sup> De Jong, P. 34; 198.

<sup>14</sup> Plat. conviv. 174a. Hac editione usus sum: Plato. Lysis, Symposion, Gorgias / Transtulit Lamb W. R. M. Cantabrigiae, MCMXXV.

<sup>15</sup> Reynen H. Der vermittelte Bericht im Platonischen Symposion, in periodico Gymnasio XXIV, anno MCMXLIV. P. 406.

<sup>16</sup> Plat. conviv. 174b-c.

Imprimis in dialogis etiam fieri autem potest, ut lector cum narratore commutetur, ad hunc modum:

τῶν οὖν γνωρίμων τις ὀπισθεν κατιδὼν με πόρρωθεν ἐκάλεσε, καὶ παίζων ἅμα τῇ κλήσει, “ὦ Φαληρεὺς”, ἔφη, “οὗτος Ἀπολλόδωρος, οὐ περιμενεῖς;” Κἀγὼ ἐπιστὰς περιέμεινα. Καὶ ὅς, “Ἀπολλόδωρε”, ἔφη, “καὶ μὴν καὶ ἔναγχός σε ἐζήτουν βουλόμενος διαπυθέσθαι τὴν Ἀγάθωνος συνουσίαν καὶ Σωκράτους καὶ Ἀλκιβιάδου καὶ τῶν ἄλλων τῶν τότε ἐν τῷ συνδείπνῳ παραγενομένων, περὶ τῶν ἐρωτικῶν λόγων τίνες ἦσαν.”<sup>17</sup>

Hic comperitur Glaucon ab Apollodoro de convivio quodam quaerere, nonnulla de eo iam afferens. Quo autem quod efficiatur est animadvertendum: sequentium igitur summarium, i.e. convivium ipsum primo et eius convivae argumentumque, non ab Apollodoro ipso, sed terti gradus narratore, Glaucone, qui ex Apollodori narratione exoritur, profertur. Atque omnis decursu operis pleraque a tertii aut quarti aut quinti gradus narratoribus referuntur.

Cum genus aliud sit atque argumentum, philosophorum dialogi narratologiae causa cum poetarum dialogis, videlicet qui in tragoediis comoediisque versentur, conferri possunt.

### 1.3 De lectore, sive cui narretur<sup>18</sup>

Ex isdem, ut si de narratore, lectore aut eo, cui narratur huiusmodi est deliberandum:

Principio uni cuique cuiusvis ordinis narratori eiusdem ordinis lectorem attribui posse intellegi oportet, ad hunc modum:

Δοκῶ μοι περὶ ὧν πυνθάνεσθε οὐκ ἀμελέτητος εἶναι.<sup>19</sup>

Circumitus igitur amicus ex Apollodoro ante quaerens videtur. Quo autem loco per se cognoscitur illi narrari.

Deinde erit autem considerandum, num lector vel is, cui narratur, fabulae intersit, hoc modo:

“...πρότερον δέ μοι” ἢ δ’ ὅς, “εἰπέ, σὺ αὐτὸς παρεγένου τῇ συνουσίᾳ ταύτῃ ἢ οὐ;” Κἀγὼ εἶπον ὅτι “Παντάπασις ἔοικέ σοι οὐδὲν διηγεῖσθαι

<sup>17</sup> Plat. conviv. 172a-b.

<sup>18</sup> De Jong. P. 28–33.

<sup>19</sup> Plat. conviv. 172a.

[c] σαφὲς ὁ διηγούμενος, εἰ νεωστὶ ἡγῆ τὴν συνουσίαν γεγονέναι ταύτην ἢν ἐρωτᾶς, ὥστε καὶ ἐμὲ παραγενέσθαι.”<sup>20</sup>

Postremo, num et quomodo lector commemoretur, cognosci debet, ad hunc modum:

“Παίδων ὄντων ἡμῶν ἔτι, ὅτε τῇ πρώτῃ τραγωδία ἐνίκησεν Ἀγάθων...”<sup>21</sup>

Hic, ut facti vetustas lectori, qui est Glaucon, ostendatur, dicit Apollodorus factum esse, cum pueri erant.

Amicus quidem ille, cum de eodem ante dialogi initium quaesivisse videatur atque Glaucon, cui in narrando refertur, est et Apollodori lector et quodam modo Aristodemi, cuius verba Apollodorus fert, et quippe qui oratione interim recta secundi gradus narrator fiat Apollodori in narratione ei ipsi respondens. At etiam iure dici possit Glaucona minime esse Aristodemi lectorem, cuius cum verba non sint ei data, sed Apollodoro. Qui quoniam oratione obliqua multa profert, ea de Aristodemi verbis oratio tertii gradus narratoris, Apollodori, Glauconi dedicata haberi debetur, neque ab Aristodemo ipso.

Dialogi omnis narrator, is qui vix decerni potest, est primi ordinis, quippe qui nobis narret. At Apollodorus non nobis, verum suo amico respondet et, ut diligentius dicam, fit secundi ordinis narrator, cum ei narrat, quocum colloquitur, quidque Glauconi idem ac ipsi quaerenti reddiderit. Cuius narrator, Aristodemus, est alia in narratione, quae quidem tertii iam gradus dici potest, ut id, quod Aristodemus dixit, quarto gradu esse haberi potest.

#### 1.4 De narratione intra narrationem<sup>22</sup>

Veri igitur simile est eam partem magis pertinere ad ea, quae ex his omnibus modo prolatis efficiuntur, quam rem ad novam. Narratio enim inter narrationem intellegi et recte inquire tantum potest, cum ea, quae ad narratorem ac lectorem pertinent, ostenduntur: exempli gratia si Apollodorus commemorasset Glauconi se familiarem convenisse, cui quid rettulerit, narrans.

<sup>20</sup> Plat. conviv. 172b-c.

<sup>21</sup> Plat. conviv. 173a.

<sup>22</sup> De Jong, P. 34–37.

1.5 De scripto et argumento et fabula et fontibus<sup>23</sup>

Principio verbis scriptis, quae, ex quorum usu quid animadvertendum sit, inquiri possunt, scriptum fit. In quo deinde argumentum versatur, ex quo intellegi potest, cuius animi motu is, qui legit, afficitur. In quo fabula tum eius, qui narrat, conspectu subit,<sup>24</sup> ex qua erit deliberandum, quae res commemorentur necne. Denique erunt fontes considerandi, quibus se usum narrator verbis suis dicit.<sup>25</sup>

Quid sit scriptum, exemplo minime caret. Argumentum autem est eiusmodi: Apollodorus interrogari videtur ab Glaucone (A), cui narrat aliquem familiarem idem quaesivisse (B) responsionem referens (C). Hac in relatione, cuius lectorem Apollodorus ipsum se dicit, narratio iterum invenitur (D) ab Aristodemo prolata. Qua porro in narratione de convivio illi, qui ei interfuerunt, colloquii decursu multa alia narrant altiores narrationis gradus instituentes.<sup>26</sup> Fabula autem ad hunc modum intellegi potest: Agathon, cum epinicio primus vinceret, convivium comparavit Socrati, qui Aristodemum secum ferebat, et alios vocans neque Aristodemum inveniens, ut invitaret (D).<sup>27</sup> Aliquanto post Aristodemus Apollodoro convivium refert (C).<sup>28</sup> Multis annis post de illo convivio Apollodorus a quodam familiari interrogatur Phalero Athenas iter faciens (B).<sup>29</sup> Ab eodem aliquanto post denuo idem quaerit Glaucon (A), cui haec omnia narrantur.

<sup>23</sup> De Jong. P. 37–39. In pagina autem 77 apertius exponitur, quomodo hi narrationis gradus intellegi debent, ad hunc modum: fabula: A — B — C — D — E; argumentum: B — Cccc — A — C — B' — D — Ee; scriptum: B (100 verba) — Cccc (400) — A (100) — B' (75) — D (50) — Ee (150).

<sup>24</sup> De Jong. P. 37 sq.

<sup>25</sup> Hic eis, qui in rebus gestis incumbunt, erit a veris fontibus inquirendis abstinendum. De his enim non quaeritur, immo vero quae narrator ipse proferat vel prodat (e.g. Liv. XXII 7, 3–4).

<sup>26</sup> Hic exempli gratia est commemorandus Socrates inter Homeri verba allata locum apertius explicare (Plat. conviv. 174b-c): "... ποιήσας γὰρ τὸν Ἀγαμέμνονα διαφερόντως ἀγαθὸν ἄνδρα [c] τὰ πολεμικά, τὸν δὲ Μενέλεων "μαλθακὸν αἰχημητὴν", θυσίαν ποιούμενον καὶ ἐστιῶντος τοῦ Ἀγαμέμνονος ἀκλήτρον ἐποίησεν ἐλθόντα τὸν Μενέλεων ἐπὶ τὴν θοῖνην, χεῖρω ὄντα ἐπὶ τὴν τοῦ ἀμείνονος."

<sup>27</sup> Plat. conviv. 173a.

<sup>28</sup> Plat. conviv. 173b.

<sup>29</sup> Plat. conviv. 172a.

### 1.6 De iis partibus, ex quibus constat narratio<sup>30</sup>

Certa quidem omnium natura narrationum decerni potest.<sup>31</sup> Primum summarium ponitur. Quod deinde sequitur in locum ac tempus introductio, tum causa omnibus sequentibus generaliter implicata profertur. Ex qua narrationis summa, ut ita dicam, enascitur. A qua tunc factorum autem tractus relevatur, ut ex eis quaedam disci possint. In Convivio, ut optimum perscrutemur exemplum, eam sumamus narrationem ab Aristodemo summam prolatam (D), ad hunc modum:

In Convivio summae narrationis partes non ab eodem narratore dantur. Quod cum quattuor saltem narratores cognovimus, una omnino fabula, i.e. de convivio, cui omnes aliquid addunt, et cuius fabulae cum summarium, quod cum non ex multis constet,<sup>32</sup> datur, a Glaucone, cum Apollodorum de convivio interrogaverit.

Epinicio Aristodemus Socraten convenisse, cum eo Agathonis domum ambulare et ibi utrumque denique succumbere, dum in sermonem ingrederentur, introductio haberi potest.<sup>33</sup>

Causa quidem facilis est cognitu, cum sit hic colloquii, quod erat de Amore, ipsius causa.

Colloquii autem decursus, in quo quinque oratores Amori laudes dicunt et Socrates postremo Diotimae orationem profert, est narrationis summa considerandus.<sup>34</sup>

Cum alii convivae adveniunt, suprema fit colloquii pars. Tum argumenti gravitas amittitur et leviores denique ingrediuntur in res.<sup>35</sup>

### 1.7 De metalepsi<sup>36</sup>

Metalepsis paene idem est atque apostrophe, sed plerumque alio effectu. Verumtamen orator vel narrator in orationem vel narrationem suam ingreditur. Hic autem fieri etiam potest, ut fabulae persona

<sup>30</sup> De Jong. P. 39–41.

<sup>31</sup> Deinceps fiat conversio eorum verborum: De Jong. P. 39: “abstract”, “orientation”, “complication”, “peak”, “resolution”, “coda”.

<sup>32</sup> v. p. 2 sq. et n. 15.

<sup>33</sup> Plat. conviv. 174a–175d.

<sup>34</sup> Et hoc vero ultima pars, ex qua cum pleraque disci possint, imprimis Platonis quidem conspectu dici posset, praesertim quod Socrates Amori minus laudes dicit, verum in eius naturam inquirat. Eo loco Platonis solita dialogi ratio magis adhibetur. Quod locutore, Socrate, dignius videtur.

<sup>35</sup> Plat. conviv. 223b–d.

<sup>36</sup> De Jong. P. 41 sq.

narratoris mentionem faciat, in exemplo nostro Convivii ad hunc modum:

Ταῦτα δὴ μοι δοκεῖ εὖ λέγειν Φαῖδρος.<sup>37</sup>

Eryximachus postquam Phaedri verba attulit, cui metalepsi (μοι δοκεῖ) assentitur suam narrationis verbis suis intrans. Eiusmodi pleraeque sunt metalepses.<sup>38</sup>

## 2. De narratoris conspectu<sup>39</sup>

Hic quaerendum est de omnibus, quibus narratoris<sup>40</sup> vel fabulae personae ipsae conspectus et animus erga narratas res aperte fit, sive quodam modo obscure et omnino non grave, sive planis verbis suis, sive fabulae personae verbis, sive in rebus narrandis, quibus ipse interfuit necne<sup>41</sup> hoc modo:

Ἐφ’ ἂν οἱ Σωκράτῃ ἐντυχεῖν λελουμένον τε καὶ τὰς βλαύτας ὑποδεδεμένον, ἃ ἐκεῖνος ὀλιγάκις ἐποίησε.<sup>42</sup>

Hic praesertim est Socraten animadvertendum ferri lavatum et calceis inductum. Ante, quo quid efficiatur, quam comperi potest, cum Apollodorus oratione obliqua Aristodemi verba afferat, utrum sit huius an illius opinio, intellegi debet: per verbi quidem modum, quod est ἐποίησε, discerni non potest, cum Attica in oratione obliqua optativus obliquus in sententia relativa minime sit ponendus, indicativus vero, sicuti hic, etiam fieri potest.<sup>43</sup> Interpuncto autem, quod est virgula, fit veri simile Aristodemi opinionem esse, quod oratio obliqua nondum finita est.

<sup>37</sup> Plat. conviv. 177c.

<sup>38</sup> Optimum praeterea hoc sit exemplum: Οὕτω δὴ ἐγαγέ φημι Ἐρωτα θεῶν καὶ προεσβύτατον καὶ τιμώτατον καὶ κυριώτατον εἶναι εἰς ἀρετῆς καὶ εὐδαιμονίας κτήσιν ἀνθρώποις καὶ ζῶσο καὶ τελευτήκασιν (Plat. conviv. 180b). Orationem enim primam ab Eryximacho prolatam Aristodemus narrator suis verbis aestimat, antequam, quid dixerit Phaidros, affert. Qua metalepsi ergo Aristodemo probante orationis finis ad sequentes perveniens indicatur.

<sup>39</sup> De Jong. P. 47–73: “focalization”

<sup>40</sup> Si primi gradus narrator non est fabula implicatus et omnes personarum sententias et animos scit, omnisciens appellatur.

<sup>41</sup> I.q. Theodisce “erlebendes Ich” et “erzählendes Ich” dicitur, est hic quoque distinguendum.

<sup>42</sup> v. n. 15.

<sup>43</sup> Bornemann E., Risch E. Griechische Grammatik. Brunsvigae, MCMLXVIII (editio secunda MMXIV). 295 b) β).

Socratis mos commemoratur et eo die illum aliter se gerere. Occasio ergo, qua ita facit, quaeque est convivium, est animadvertenda. De quibus autem in fine praestat agere.

### 3. De narrationis decursu (temporis usu)<sup>44</sup>

Primum erit dicendum, quomodo facta vel eorum decursus tempore quodam implicati sint. Utrum omnia igitur narrantur recto in ordine an diffuse an simul? Fiantne igitur mentiones de horis, diebus, mensibus, annis et eiusmodi? Deinde causae autem ac effecta cuiusdam temporis usus sunt inquirunda.

Ut iam antea<sup>45</sup> ostentum est, primi gradus narrator, cum Apollodorum ab praesenti tempore in incipiendo impellit, temporis decursum praeceps convertit.

#### 3.1 De analepsi<sup>46</sup>

Hic non ea loquendi figura, quae certe est affinita, narratologiae vero analepsis ostenditur. Principio fere idem est, nam generaliter significatur res narrationis decursu posterior prolata. Quae res multis de causis promitur, ut si breviter praesentium factorum causae intelleguntur, vel alicuius culpa ostenditur et multa quaevis alia commemorantur. In Platonis Convivio eae inveniuntur ad hunc modum:

“...πρὸ τοῦ [Σωκράτει συνδιατρέβειν] δὲ περιτρέχων ὅπη τύχοιμι καὶ οἰόμενος τι ποιεῖν ἀθλιώτερος ἢ ὅτουσῶν, οὐχ ἦττον ἢ σὺ νυνὶ, οἰόμενος δεῖν πάντα μᾶλλον πράττειν ἢ φιλοσοφεῖν.”<sup>47</sup>

Apollodorus igitur de eo tempore, quo nondum Socrati usus est, breviter narrat. Se paulum ob vivendi ante modum vituperat et arguit, quoniam nondum in philosophia incubuit. Quo etiam Glaucon reprehenditur (οὐχ ἦττον ἢ σὺ νυνί). Quibus omnibus analepsi implicatis philosophiae gravitas ostenditur, quae cum vitae bonae prosit.

#### 3.2 De prolepsi<sup>48</sup>

Idem paene atque analepsis est prolepsi vice tantum versa: non enim posterius, sed futurum factum explicatur et denuo variis de causis,

<sup>44</sup> De Jong. P. 73–103.

<sup>45</sup> Cap. 1.5.

<sup>46</sup> De Jong. P. 78.

<sup>47</sup> Plat. conviv. 173a.

<sup>48</sup> De Jong. P. 78.

ut exempli gratia ea, quae factum sequantur, coarguantur. Nostro autem casu hoc modo:

“...ὄν μέντοι ἀλλὰ καὶ Σωκράτῃ γε ἔνια ἤδη ἀνηρόμην ὧν ἐκείνου ἦκουσα, καὶ μοι ὠμολόγει καθάπερ ἐκείνος διηγείτο.”<sup>49</sup>

#### 4. De spatio<sup>50</sup>

Postremo igitur erit de spatio in fabulis commemorato praecipendum: Num sive qui locus commemoretur sive obiectum describatur est semper animadvertendum, quo cum fieri possit, in quo exponendo ut quidam effectus exprimatur. Quo enim fabulae desistit et lectoris animus vertitur ad quodcumque, ad hunc modum:

“πρῶτον μὲν γὰρ τρία ἦν τὰ γένη τὰ τῶν ἀνθρώπων...ἔπειτα ὄλον ἦν ἐκάστου τοῦ ἀνθρώπου τὸ εἶδος στρογγύλον, νῶτον καὶ πλευρὰς κύκλω ἔχον, χεῖρας δὲ τέτταρας εἶχε, καὶ σκέλη τὰ ἴσα ταῖς χερσίν, καὶ πρόσωπα [190a] δὴ ἐπ’ αὐχένι κυκλοτερεῖ, ὅμοια πάντῃ κεφαλῇ δ’ ἐπ’ ἀμφοτέροις τοῖς προσώποις ἐναντίοις κειμένους μίαν, καὶ ὧτα τέτταρα, καὶ αἰδοῖα δύο, καὶ τὰλλα πάντα πάντα ὡς ἀπὸ τούτων ἄν τις εἰκάσειεν. ἐπορεύετο δὲ καὶ ὀρθὸν ὥσπερ νῦν, ὅποτερῶσε βουληθείη· καὶ ὅποτε ταχὺ ὀρηήσειεν θεῖν, ὥσπερ οἱ κυβιστῶντες καὶ εἰς ὀρθὸν τὰ σκέλη περιφερόμενοι κυβιστῶσι κύκλω, ὁκτῶ τότε οὔσι τοῖς μέλεσιν ἀπεριειδόμενοι ταχὺ ἐφέροντο κύκλω.”<sup>51</sup>

Hac in Aristophanis oratione aliquatenus longa exponitur corporis descriptio, ut nova res prolata et mirabilis tertii habitus generis apertior fiat ad intellegendum. Commemorantur forma, membrorum numerus, movendi habitus. Ut iam dictum, fabula eo loco desistit et lectoris animus ad tertii generis speciem necessario vertitur, ut fabulae casus sequentes protinus per se cognoscantur.

#### 5. De ratiocinationibus supremis

Narratorum numero, qui primis iam in paginis animadvertitur et hic examinando apertius ad intellegendum facto, convivium illud quodam modo antiquissima in tempora abditur atque clarissima fama

<sup>49</sup> Plat. conviv. 173b.

<sup>50</sup> De Jong. P. 105–131.

<sup>51</sup> Plat. conviv. 189d–190a.



exponitur.<sup>52</sup> Quae fama Athenis tota in urbe longe ambire debuisset, ut Plato denique decerneret hoc modo omnibus patefacere.

At fieri etiam possit, ut Plato ab iis hoc in convivio prolati aliquatenus decedere voluerit omnes tamen certiores faciens, ne quis de veritate dubitet. Ideo omnia ab maioribus narratoribus afferentur, quorum ne quid ipsi addicatur.<sup>53</sup>

Quodsi praeterea assumamus, ut aiunt,<sup>54</sup> Platonis dialogos re vera in Academia exercitationis ac in colloquium ingrediendi causa scriptos recitadosque, hic Convivii dialogus cui minime idoneus videri potest, quem ut Platonem veri fiat simile, ut eis, quibus interesset, certa quaedam ad manum esset, scripsisse. Quare magis, ut Paulsen et Rehn aiunt,<sup>55</sup> quasi theatri fabula Convivium haberi debetur, quod Plato omni dialogo non modo argumentum sed etiam fabulam comparavit. Quem atque casibus locutoribusque subitis artificiosissime formavit.<sup>56</sup>

---

<sup>52</sup> Reynen (Reynen. P. 407) in Hildebrandt (Hildebrandt K. Platons Gastmahl, in periodico Phil. Bibl. XXXI, anno MCMXXII. P. 1 sq.), qui symposium fabulam esse dicit: fabula ficta fieri non potest. Krüger (Krüger G. Einsicht und Leidenschaft, Francoforti ad Moenum, MCMXLVIII. P. 79 sq.): Μύθου et λόγου fines vix decerni possunt: "das Gastmahl liegt lange zurück..., aber der aneignende Bericht davon ist dennoch *zuverlässig* und *wohlbegründet*" (79).

<sup>53</sup> Wilamowitz-Moellendorff U. von. Plato's Gastmahl. Marburgi, MCCMLVII. P. 3.

<sup>54</sup> e.g. Bormann K. Platon. Monachii, Friburgi Brisgoviae, MCMLXXIII. P. 11.

<sup>55</sup> Platon. Symposion / Transtulerunt et ediderunt Paulsen Th., Rhen R. Stutgardiae, MMVI. P. 199.

<sup>56</sup> Reynen. P. 405: "Das Platonische Symposion ist ein Werk von höchstem künstlerischem Rang ... Selten gelingt die Synthese des philosophischen Denkens mit dem künstlerischen Gestalten so glücklich wie hier."

*Catharinae Nouiae Moscouiensis*

## **Cato an Varro? De uino mulieribus non bibendo**

*Catharina:* Persaepe tecum, Helge, in Academia nostra Moscouiensi, statione linguae utriusque grammaticorum, non de primae quidem classis scriptoribus, magis de ueteribus grammaticis Latinis inter se certauiamus.

Quo certamine Latinitati magis quam uino indulgentes egomet ueteres originationes uerborum Italicorum et rusticorum, tu enim nomen principis, qui unam quamque originationem excogitasset, indagare uincebamus.

Nunc etiam sodes ipsa de principibus dicam, uino magis quam Latinitati mulier data.

*Helgus:* Virginis matrimonio dari, mulieris autem domi suae esse uideatur.

*Catharina:* Nisi habeat nihil dotis, praeter ardentem Latinitatis amorem.

*Helgus:* Exstant libri Plinii Maioris uiri maxime antiquitatum periti, quorum quarto decimo de uino et uite agitur, nec minus de feminis ac de dote. Plinium senem noli obliuisci.

*Catharina:* Re uera non Plinium, sed Marcum Catonem senem.

*Helgus:* Rem acu tetigisti.

*Catharina:* Itaque de principibus incipiam. Excerpta scriptorum ueterum de arte grammatica ac de re rustica apud Plinium, potius apud paene omnes serae scriptores aetatis, ut Aulum Gellium, Seruium et alios, sicut bellaria fructusque lance disponuntur. Cuius igitur arboris unus quique fructus? Immo estne qui fructum princeps carpserit idem qui eum fructum conuiuus apposuerit?

Nacta sum Plinii libro quarto decimo locum, ubi M. Cato quasi grammaticus originationem uocabuli temulentiae explanauerit: «Cato ideo <scripsit> propinquos feminis osculum dare, ut scirent an temetum olerent. hoc tum nomen uino erat, unde et temulentia appellata».

An erat Cato grammaticus uerba tam libenter ubicumque explicans? Seruius autem glossas Vergilio scribens bis de temeto ac temulentia agit commemorans grammaticum Varronem:

1. «IACVITQVE PER ANTRVM hoc uerbum de Varrone mutuatus est, qui ait in lectu temulentos iacere, sobrios cubare consuescere» (Seru. Aen. III 631, 2);

2. «PVLVERVENTA plena pulueris: nam apud ueteres puluerulenta dicebantur, sicut uinolentum dicimus qui uino plenus est, et temulentum qui temeto plenus est» (ibid. XII 463, 2).

Habemus igitur Marcum Varronem de moribus conuiuiarum scribere testatum Seruium ac de figura qua uocabula uinolentiae ac temulentiae dicta fonte non patente disserentem.

Reuertamur ad Plinium, de quo nunc est quaerendum, an de origine temulentiae uocabuli princeps Varro, an Cato scripserit?

Minime est quaestio simplex.

Gellius orationem Catonis de dote inscriptam semel commemorauit: «Verba Marci Catonis adscripsi ex oratione, quae inscribitur de dote, in qua id quoque scriptum est in adulterio uxores deprehensas ius fuisse maritis necare» (Gell. X 23, 4).

Itaque Gellius non esse dubitandum, quin Cato hac oratione non modo de adulterio deprendendo, sed etiam de uino uxoribus non bibendo loqueretur, uocabulo 'quoque' ad sententiam apposito luce clarius monstrauit.

Im primis enim cultus ac uictus populi Romani scriptores, deinde temeti uocabulum notat: «uino semper, quod temetum prisca lingua appellabatur, abstinuisse dicunt» (ibid. 23, 1). Nomina uero horum scriptorum in 'qui' uocabulum commutauit, qua de causa fontem Gellii inuenire nequimus.

Possimus modo unius cuiusque scriptoris personam, aut si mauis Graeco uerbo characterem, testimoniis consultatis depingere. Cuius characteris Varro et cuius Cato fuit? Quibus de rebus unus quique scribebat?

Marcum Catonem censorem fuisse constat, opusque non paruum de agri cultura composuisse, Marcum autem Varronem grammaticum notissimum de antiquitatibus potius de uocabulorum originibus disseruisse. Itaque personis captis suam partem agebat uterque.

In oratione sua de dote Cato de moribus antiquis, ut de uino feminis non bibendo, de osculis feminarum dandis ac de adulterio collocutus est. Huius enim orationis reliquias haud semel immo bis apud scriptores posteriores inueniamus, cum grammatici Petropolitani Gellii librum interpretantes in errorem lapsi uideantur.<sup>1</sup>

Non modo Gellius, sed etiam Plinius noster hanc orationem sciuit et cum de feminis et temeto loqueretur Cn. Domitium iudicem commemorauit teste uidelicet Catone mulieri cuidam dote multauisse (Plin. n. h. XIV 88–90).

Exstantque eodem loco apud Plinium excerpta ex libris fortasse Antiquitatum Varronis de Mezentio rege Rutulis adiuuante et de uino regis Latini, quod Etruriae rex sibi praedae uoluisset, nihil tamen eheu prehenderit.

Ratio autem nostra haec est: cum Cato de dote, adulterio et osculis feminarum, tum Varro de Latio antiquo et originibus uocabulorum scribebat.

Omnes Varronis Catoni additiones grammaticam unice decent, quam ob rem grammatici recentiores de temeti uocabuli origine scribentes in primis temulentum atque abstemium notant.<sup>2</sup>

H. Rix etiam indice uerborum Indogermanicorum suo temetum uocabulum utramque E litteram longam habentem cum 'temere' aduerbio ac 'temerare' uerbo commixtum demonstrauit uelut prosodiam ignorans, quod profecto exprobrandum est.<sup>3</sup>

Re uera Varro temulentiae uocabuli explicationem ita sensit, ut a temeto cum fuisset quasi temetulentia, sicut a uino uinolentia, per detractionem ET particulae paruulae ex temetulentia temulentia fieret, sine dubio ad facilius pronuntiandum.

*Helgus:* Reuertamur sis ad rem, quaeso. De personis a principibus captis communicare uelim...

*Catharina:* Plinius igitur et Gellius Varronis lectores erant, cum Varro, sicut eius familiaris Cicero, dicta Catonis diligenter seruasset sententiasque grammaticas Catoni addidisset. Saeculo autem secundo ne dicam primo p.Chr.n. iam pridem nihil orationis de dote inscriptae

<sup>1</sup> Авл Геллий. Аттические ночи. Кн. I–X. СПб., 2008 [пер. А. Егоров, А. Бехтер, А. Тыжов]. С. 445.

<sup>2</sup> de Vaan M. Etymological dictionary of Latin and the other Italic languages, Leiden—Boston, 2008. P. 609.

<sup>3</sup> Rix H. Lexikon der indogermanischen Verben, Wiesbaden, 2001. P. 624.


aderat praeter excerpta a Marco Varrone facta, quae profecto Plinio Gellioque nec minus Seruio erant auxilio.

*Helgus*: Hic ad commentationem tuam addi potest librorum conspectus breuissimus de Plinii fontibus ab eis grammaticis notatis, qui arte Germanice Quellenforschung appellata maxime delectabantur. In primis uero Maximus ille Rabenhorst de Varrone apud Plinium permulta utilissima collegit.<sup>4</sup>

*Catharina*: Nec minus Henricus ille Jordan, qui omnia Catonis praeter librum de re rustica edidit.<sup>5</sup> Tamen libri alio tempore nobis conspiciendi sint. Vincam stemmata quaedam pingenda et comparanda esse.

Ecce stemmata prima:

De uino mulieribus non bibendo ac de temulentiae uocabuli origine:



aut secunda:



*Helgus*: Quam similia capreolis tua stemmata sunt. Istis capreolis uisis dixerit aliquis te nobis uineam curare.

*Catharina*: Ad hoc facete Varro in libro de re rustica originem ut semper monstrans dixit: «<h>i s<unt> enim uitis quibus teneat id quo serpit ad locum capiendum, <a> quo capiendo capreolus dictus» (Varr. r.r. I 31, 4).

*Moscouiae, MMXVI.*

<sup>4</sup> Rabenhorst M. Quellenstudien zur Naturalis historia des Plinius, Berlin, 1905.

<sup>5</sup> Jordan H. M. Catonis praeter librum de re rustica quae extant, Lipsiae, 1860.

*Helgae Paulinae Sergii f.,  
Georgii Sacouii Alexandri f.*

## **De Vergilio nautico**

Omnibus Vergilii lectoribus notum est hunc poetam clarissimum de re nautica in operibus suis nonnumquam mentionem fecisse. Praesertim in eis libris Aeneidos, ubi de itinere nauium Troianarum agitur, se peritum rei naualis ostendere uidetur, cum de structura nauis (de partibus scilicet atque armamentis siue instrumentis potius naualibus) uel de nauigatione, deductione subductioneque nauium atque adeo de ludis naualibus pulcherrime disserere soleat. Quare non admirandum est multa uocabula ad res nauales pertinentia apud Vergilium inueniri. Ut aliquot exempla praebeamus, memorabimus eum haud dubie de *puppi* (quae est nauis pars posterior), de *prora* (sic enim partem anteriorem nauis uocamus), de *carina* (quae est pars ima uentris nauis uelut tignum fundamentalis), de *foris* (quae elocutio pluralis constratum seu pauimentum significat), de *iugis* siue *transtris* (quae elocutiones plurales trabes designare solent a latere in latus positas, in quibus *sedilia* poni poterant ad sedendum remigibus), de *rostro* quo naues hostiles perforantur, de *clauo* (qui est fustis gubernaculi, quem gubernator tenet), de *palmula* (quae est extrema pars remi), de *pedibus* (qui funes ad imos angulos lintei alligatas ad uela molienda significant), de *antemna* (quae est pertica qua uela extenduntur), de *bracchio* (quod est dimidia antemna), de *malo* in quo antemna ac uela suspenduntur necnon de quibusdam aliis elementis, quibus corpus nauis consistit, mentionem facere. Praeterimus nomina generum nauigiorum ut, exempli gratia, *biremis* (quae est nauis binos ordines remorum habens), ne uerba quidem nauigandi, deducendi subducendique naues memoremus.

Iam temporibus antiquis animaduersum est res et locutiones nauales magni momenti apud Vergilium esse. Adhuc tamen controuersiae inter uiros doctos oriri solent, cum alii poetam nostrum rerum naualium

peritissimum, alii prorsus imperitum demonstrare conentur siue de ratione locutionibus nauticis utendi disputare aggrediantur. Nam grammatici antiqui operum Vergilii periti siue Seruius in commentariis suis in Vergilii carmina siue Donatus poetam sermonem nauticum usurpauisse affirmant (Seru. geo. II 44, Seru. Aen. I 244, Seru. Aen. III 291, Seru. Aen. III 127, Don. Aen. III 125). Alii autem uiri docti Vergilium elocutiones e sermone nautarum sumpsisse negant.<sup>1</sup> Haec quaestio, quae iam antiquis intricatissima uisa sit, forsitan aliquantulum clarior erit, si pauca generatim atque uniuerse de sermone nautico Romanorum prolata erunt.

Linguam Latinam uerbis ad rem nauticam pertinentibus abundare nemo dubitauerit. Penitius tamen rem considerantibus talia uerba multis in modis inter se differri apparebunt, ita ut hanc copiam uerborum unimodam multitudinem uix censere possimus. Verborum ad rem nauticam pertinentium tria, ut nobis uidetur, genera sunt: primum genus commune uocabimus, deinde genus technicum, denique genus pseudonauticum siue poeticum. Primum horum genus uerba trita celebriaque, quibus frequentissime sermo omnium utatur (ut *nauis, malus, remus* et cet.), continet. Alterum genus terminis technicis qui ex uero sermone nautarum proueniunt (ut *trieris, tetreris, hippago, nauarchus* et cett.) efficiatur. Vix quoddam ex his uerbis apud Vergilium inueniatur, sed in inscriptionibus legibusque huius generis uerba celebriora sunt. Tertium genus locutiones pseudonauticas quae ad usum poetarum aptae sint, ut *arbor mali, incuruare remos* et cet., continet.

Horum generum quodque a suo fonte originem trahit. Nam cum a Romanis naues longae constituerentur et armarentur classisque ad uim copiamque naualem Karthaginis sustinendam augeretur, multitudo non solum architectorum fabrorumque naualium, sed etiam nautarum remigumque a sociis in castra naualia mittebantur. Cum naualia plurima appellationibus carerent, causa postulabat, ut elocutiones Graecae ad rem nauticam pertinentes confestim assumerentur et directim litteris Latinis describerentur. Itaque hoc tempore, cum plerique operarii rei nauticae periti Graeci essent, magna copia uerborum nauticorum Graecorum in sermone Latino eualescebat, quorum exempla supra praebuimus. Hoc ipso modo, ut credimus, sermo nauticus Romanorum

<sup>1</sup> Cf. Vergili Maronis Aeneidos Liber III / Ed. R. D. Williams. Oxford, 1962. P. 115.

formatus est, de quo nunc uix aliquid certum cognitum habemus praeter paucissimas elocutiones, quae ex inscriptionibus antiquis nobis nota sunt.

Quod ad poetas, non credendum est eos e uero sermone nautico uulgari, immo semigraeco, materiam sumpsisse: non enim hic mos erat latinitatis neque huius generis uerba apud Vergilium ceterosque inuenimus. Facile tamen demonstrari potest multas locutiones nauales ex operibus Graecorum (in primis Homeri et Apollonii Rhodii) translatas esse plerasque ad exemplar Graecorum ab ipsis poetis Latinis generatas esse. Ita 'utrumque [Iuppiter simul secundus incidisset] in pedem' Catulli (Catull. 4, 20–21) uidetur sumptum esse ex Apollonii 'ἔς πόδας ἀμφοτέρους' (Apoll. II 932), eiusdem Catulli 'incuruans remos' (Catull. 64, 183) Apollonii illi ἐπεγνάμπτοντο δὲ κῶπαι (Apoll. II 591) assimilandum est, 'naualia' apud Vergilium (sensu 'materia nauis construendae') iam Seruius animaduertit translata esse ex 'νήϊον' homerico (Seru. ad Aen. XI 329), ne pluribus exemplis utamur. Itaque non dubitandum est, quin Vergilius, cum de nauibus nauigationeque uerba faciat, non tam scientiam rei naualis, quam artis poeticae peritiam demonstret.



*Alexii Philtrii (qui et Lyubzhin) Inguari f.*

## **De Academia Pozharskiana nota brevissima**

Bene scio, auditores clarissimi, neminem vestrum fugere vetus haec doctrina, qua res Europaea adhuc firmissime steterit, doctrina, cui provehendae tam strenue exstinctus amicus noster Helgus Nikitinski Demetrii f. studuerit, quam cito quibusque passibus ultimis decenniis cedat, scio etiam vos vulgaris illius diluvii vim atque impetum minime ignorare. Hac in civitate, post res A. D. MCMXVIIo eversas omnique humanitate pessumdata, doctrina paulisper evigilans puerilia captat flagrantique studio utilia modo persequitur. Hae quidem civitates, quarum res Deus protexit, haud minore studio non solum divitiarum, verum etiam doctrinae artiumque discrimina ut iniusta reprobrantes, imis sublimia adaequare temptant. Itaque diversis e partibus ad unum abyssum accurritur. Quam ob rem aut querimoniis auras implere possumus, aut harenae pugnum vel minimum sub rotam temporis iacere, qua illius moremur progressum. Si ita libet, possumus Academiam illam Pozharskianam, de qua vos certiores facere in animo est, ut huius generis pugnum spectare. Hoc erat Michaelis Povaliaev Victoris f. Academiae fundatoris cum amicis consilium, hoc temporibus responsum.

Consilio Academiae creandae iam pridem capto primum Aerarium Rutenicum studiis litterisque fovendis apparuit, quo facilius opes necessariae subministrari possent. Nec dubium erat, quin rei novitas iuvenes ab Academia deterritura esset, quam ob rem post Aerarium officinae editoriae ac scholis, quas vesperi variae aetatis studiosi litterarum avidi frequentarent, opus datum est; ita res multis iam firma videbatur, quod hac in civitate, ubi fides difficillime quaeritur, cito exstinguitur, maximi est momenti. Et viri doctissimi haud pauci non modo consilio favebant, verum etiam participes ardentissimi facti sunt. Aliquot instituta studiis provehendis apud Academiam

sunt creata, e. g. rebus hellenisticis Aegyptiacisque, Rutenicorum magistratuum vitis, rebus saeculo XXo gestis inscriptionibusque Rutenicis investigandis, necnon et bibliotheca satis ampla studiisque utilissima comparata. Itaque decennium ab initiis a. D. MMVI habitis usque ad magisterium creatum elapsus est.

Hoc magisterium primus est gradus verae plenaeque Academiae, quam in animo tenemus. Cuius fundator Michael Povaliaev Victoris f. Academiam Pozharskianam ad hominem erudiendum, non ad artificem formandum destinandam esse ait. Ne studiosi nostri iuribus careant, quae omnibus in academiis publicis etiam cuique pessimo tribuuntur, ordo magisterius una cum Academia Publica Humaniorum factus est, quae quamquam nuper creata fidem populi acquisierat.

Primos studiosos benevolos Academia Pozharskiana ad certamen invitavit, quod «Pro laboribus artibus patria» nuncupatum est: victoribus subventionem pollicitata est, ut magisterii gradum consequi possent. Ad certamen ii invitati sunt, qui iam baccalaurei gradu dignati erant vel ultimi anni studiosi, aream sapientiae suae quam amplissimam futuram esse volentes necnon vias modosque nostri temporis scientiarum certius intellecturi atque hanc ob rem aequo animo quaecumque ventura essent spectaturi. Ordinis capita multas urbes viderunt, in quibus Casanum, Catharinopolin, Petri fabricam, Sympheropolin, Tueriam aliasque, undique iuventutem ad certamen arcessentes necnon et difficiliorem operam proponentes studiorumque cursum curiosis iucundum virorumque doctissimorum commercium. His itineribus imprimis Alexius Savvateev Valdemari f. mathem. ac phys. doct. tunc Ordinis magisterii decanus, nunc verum Academiae rector operam dedit. Is ut talis Academia sit optat, qualem iam iuvenis desideravit. Uno loco omnia maxime varia doceri semper voluit, quod simul et difficillimum et iucundissimum est.

Quamvis doctrina firma ac solida aut universalis esse possit, aut nulla, duas alas vel partes ordo magisterius habet, quarum altera processibus civilibus ac oeconomicis multidisciplinari modo explicandis studet, altera antiquitates Graecas et Latinas professa est. Ne utriusque partis studiosi doctrina universali careant, omnes scholas historiae Rutenicae audiunt, antiquitatis studiosi etiam

de mathesi rerumque natura eruditiores fiunt. Andreas Leonidov Valdemari f. mathem. ac phys. doct. primae partis, i. e. Magisterii physicae, mathematicae et oeconomicae caput hoc modo studiosos nunc erudiendos esse ait, ut, quodcumque rerum nostri temporis civilium oeconomicarumque status provocat, respondere queant, quem ad finem uniuscuiusque rei profundam scientiam maxima cum rerum varietate iungendam esse vult. Academiae Pozharskianae hoc magnificum consilium est proponendum secundum optima Academiarum usu receptarum exempla. Alexius autem Philtrius (qui et Lyubzhin) Inguari f. philol. doct. Magisterii humanioris caput Academiam verum ac genuinum universitatis artium liberalium titulum sibi vindicare vult. Non solum doctrinam profundam artiumque amplissimam aream, verum etiam et contra intelligendi morbos, qui nunc moris sunt, vaccinam studiosis praebendam esse putat. Artibus quidem sententia sua investiganda est sola veritas, non multae ac pares veritates, ut alteri velint, qui multi sunt, aut nulla, ut alteri non pauci. Academiae fundator et capita doctrinae vias faciliores omnino non existere credunt. Studia humaniora eis scientiis discipulos, nisi spes nos fallit, imbuent, quae communi sunt fundamento humanitati ac litteris Europae, ad cultum nostrum cognoscendum necessariae sunt quibusque nostri temporis multi humanioribus instructi hac in civitate carent, utraque scilicet lingua docebitur antiquaque historia, necnon et instrumentis analysis philologicae studiosi subornabuntur. In animo est aedes in parte septentrionali provinciae Tueriensis aedificare, quominus studiosi illecebris magnae urbis impediuntur.

Quamquam firma fundamenta iam iacta erant, quamquam satis ampla pecunia proponebatur, ut studiosi scientiis litterisque solis dediti vivere possent sine cura laboris et salarii, saepissime tamen de re desperandum erat. Litterarum scientiarumque sitis rara est, hoc sobria tristitia confitetur. Nunc vero lucis aliquot inter nubes missum videmus ac primum illud obstaculum primo Academiae anno superatum esse gaudemus: propior est res spei nostrae quam timori. Multis ex urbibus studiosos habemus, Petropolitanos, Catharinopolitanos, Casanenses, Calugenses, Ircutienses et alios.

XXIV iuvenes ac robustioris aetatis discipuli scientiis toto animo incumbunt; post duo vel tres menses arduum et fortasse temerarium est de eventu iudicare; quae quidem oculis nostris videmus, bonis auspiciis Academiam testantur crescere. Nunc de baccalaureatu cogitamus, quomodo fieri possit, ut homo eruditus, non artifex post quattuor studiorum annos egrediatur. Itaque quae suscepimus, dura sunt et ardua, non tamen omnino impossibilia. Inter tot tamque varias generis humani occupationes vetus illa semperque nova doctrina aream sibi vindicare potest, non tam magnam nec dignam, verum etiam non neglegendam nec contemnendam. Si non omnia sperare, non omnino et desperare debemus.

*Id. Novemb. A. D. MMXVI.*

*Alexii Scatebrani Ruteni (qui et Solopov)*

## **De lingua Latina apud Rutenos culta eiusque proprietatibus**

Res rationesque Rutenis cum Romanis prius esse contractas, quam Rutenorum populum ipsum exortum esse, linguae Rutenicae historia docemur, qua multa uocabula ex Latino sumpta recensentur eo tempore, cum omnes Venedi<sup>1</sup> uel, ut postea usque a Gregorio Magno pontifice maximo<sup>2</sup> nominati sunt, Sclauui unam gentem constituebant: in eo numero sunt баня (idem quod balneum, ex plurali scilicet «balnea»), капуста (brassica, ex capitis uoce), рѣпа (idem quod rapum, ex plurali itidem), полати (pluteus uel lectus superior in aedibus ex Rutenorum more factis sub lacunari positus, ex uocabulo «Palatium», sensu domus altioris), изба ipsum (aedes Rutenorum, more prisco structae, ex uerbo uergentis et semibarbarae iam Latinitatis \*«extufare» sensu «caefacere», ut Germanicum Stube), denique царь (uel цесарь, id est Caesar); ceterum horum quaedam, ut putant, non recta uia, sed per aliorum gentium sermones, maxime Germanorum, et quidem Gothorum, in linguam Venedicam peruenerunt, uelut миска (camella aut patina, ex «mensa») et котѣль (ex «catinus»).

Decursu temporum cum Ruteni populus, tum Rutenia terra eorum

---

<sup>1</sup> Ita Plin. n. h. IV 97 (pl.); uide Sbigneum Gołab: Gołab, Zbigniew. Veneti/Venedi — the Oldest Name of the Slavs: The Journal of Indo-European Studies. 3. 1975. № 4. P. 321–336; apud Tacitum paullo immutato nomine Vēnēt(h)ī (Tac. Germ. 46, 1).

<sup>2</sup> Greg. M. ep. IX 155 (Gregorius Callinico exarcho Italiae. inter hoc, quod mihi de Sclauis uictorias nuntiastis, magna me laetitia releuatum esse cognoscite, quod latores praesentium de Capritana insula unitati sanctae Ecclesiae coniungi festinantes ad beatum Petrum Apostolorum principem ab excellentia uestra transmissi sunt); X 15 (et quidem de Sclauorum gente, quae uobis ualde imminet, et affligor uehementer et conturbor).

memorari coeperunt,<sup>3</sup> non statim tamen linguae Latinae usus apud Rutenos inualuit. Cum enim Ruteni baptizati sunt a. 988 a Sancto Basilio uel Valdemaro principe, in Rei Publicae Oriente non iam ullae prouinciae exstabant, quibus incolae Latine loquerentur: nam iam a saeculo VII ineunte, certe ab Heraclii Caesaris aetate (qui aa. 610–641 regnauit), magis magisque Res Publica Romana sermonis Graeci domicilium ac sedes ita facta est, ut sermo Graecus ipse saepius “Romanus” nominari coeperit: ῥωμαϊκὴ γλῶσσα, ῥωμαῖοσί et similia; lingua uero Latina in Oriente paene in desuetudinem uenit.

Per octo fere saecula uel solus aditus, quem ad linguae Latinae usum Ruteni habuere, erat legatorum ex Occidente accipiendorum uicissimque eodem mittendorum necessitudo. Et quidem etiam in illis Ruteniae partibus, quae aliquanto maiorem linguae Latinae consuetudinem habuisse uidentur, uelut Neapoli Magna, qua frequens erat commercium cum Germanis, Suionibus, Liuonibus, nihil scriptum inuenimus de ullis linguae Latinae magistris, nedum de ludis litterarum, quibus lingua Latina doceretur. Prima inscriptio Latina, quae in Rutenia propria nunc inuenitur, non a Ruteno, sed ab Italo, Petro Antonio Solario Mediolanensi, a. 1491 in arce Moscouiensi, et quidem Salutaris turri, est incisa.

Saeculo demum XVII res mutari coepit, cum primo Chiouiae a. 1632,<sup>4</sup> deinde Moscouiae a. 1685 Academiae conditae sunt, rationem studiorum a Societate Iesu inductam maxime imitatae: igitur Chiouiae, in Academia Chiouiensi Mohileana, usque ab initio omnia Latine docebantur, Moscouiae uero, in Academia Sclauo-Graeco-Latina, primum conati sunt conditores, Lichūdae fratres Ioannicius et Sophronius, natione Cephallanes, Graeca lingua pro Latina in scholis uti, sed Petri Magni Caesaris edicto a. 1701 dato lingua Latina sola docendi lingua est ibi imposita. Inter notissimos Academiae illius alumnos Michael Lomonosouius est numeratus, scriptor Latinitatis optimus.

<sup>3</sup> Graece primum a Photio patriarcha (s. IX) mentionem factam inter omnes constat, Latine primum (ut “Rhos”, forma Graecanicā, ex Ρῶς), eadem fere aetate, Annalibus Bertinianis (in a. 839); ut “Ruteni” Annalibus Augustanis (s. XII ineunte, in a. 1089), Rutenia, terrae nomen, ab Ottone Frisingensi (s. XII medio); uide Alex. Nazarenko: Назаренко А. В. Древняя Русь на международных путях. Междисциплинарные очерки культурных, торговых, политических связей IX–XII веков. М., 2001. Cap. I. P. 31, 42, 44.

<sup>4</sup> Chiouia a. 1654 a Rutenis est reciperata; Academia, de qua agitur, primum uarie, usque ab a. 1633 collegium uocari coepit; Academiae titulo a. demum 1701 a Petro Magno est honorata. A. uero 1817 clausa est.

Eiusdem Caesaris auctoritate Academia Scientiarum Petropolitana a. 1724 condita est, quae mox Commentarios suos Latine edere instituit, multosque claros uiros doctos ex uariis terris arcessiuit; Elisabēta Augusta, Petri filia, a. 1755 Academiam nostram Elisabetanam condidit, quae nunc ab alio instaurationis suae auctore Lomonosouiana dicitur. In Academia nostra ab initio usque ad a. 1768 disciplinae omnes Latine tantum docebantur, semel uero ab Academiae Senatu (siue, ut dicebatur, Conferentia) sententia uere aurea lata est: “Consilium grauissimum Academiae Moscouiensis condendae est linguae Latinae institutio”.

A saeculo XVII iam ludi litterarum in Rutenia apparuerunt, primo rari, deinde a saeculo XVIII ineunte magis magisque numerosi. Vberiore doctrina sacerdotes imbui solebant, qui non solum Academiam illam habuerunt, sed etiam ludos litterarum, quibus ad Ecclesiae munus praeparabantur; tales ludi tum, Occidentalium exemplo, seminaria uocabantur. Nolo tamen hic de omnibus scholarum ludorumue generibus, quae apud Rutenos saeculis XVIII et XIX in usu erant, praedicare, et quidem coram Alexio Philtrio, qui totum hunc locum uberrime libris suis tractauit.<sup>5</sup>

Satius est paucos saltem sacerdotalis ordinis Rutenos memorare, qui operibus suis linguae Latinae usum auxerunt: Stephanum Javorscium (n. est a. 1658 — decessit a. 1722), Theophanem Procopovicz (1681—1736), Gregorium Scovorodam (1722—1794); multo plures sunt, qui opera sua Latine conscripserunt, sed parum aut nihil omnino gloriae inde ceperunt, uelut theologiarum disputationum innumerarum scriptores.

Vt alibi iam dixi, inter uaria linguae Latinae recentis aetatis genera Rutenicum quoque recenseri debet: lingua eorum scriptorum, quae in Rutenia aut a Rutenis ab anno ferme 1632 usque ad nostram aetatem Latine sunt scripta. Puto non ab re quoque esse, si huius linguae lexicon condatur, eodem consilio, quo Itali Angli Poloni Boii Suiones aliique gentes sermonis Latini suarum terrarum lexica aut confecerunt aut conficiunt.

Quod propositum dum meditari inchoari exspectamus, uolo interim duo exempla huius linguae Latinae Rutenorum in medium proponere.

<sup>5</sup> Любжин А. И. История русской школы императорской эпохи. Тт. I–II-. М., 2014–2016– (liber nondum finitus).

(1) *calculus*

Haec uox in usu erat Academiarum Chiouiensis Mohileanae et Moscouiensis Sclauo-Graeco-Latinae. Notissima est illa lex "In scholis non nisi Latine", quae in Societatis Iesu ludis et scholis praesertim uigebat. In "Ratione studiorum", ut ad ipsum fontem adeamus, illa paulo prolixior est: "In scholis, quae huius rei capaces censentur, non nisi latine loqui doctores oporteret; animadvertere etiam in auditores, si vernacula lingua utantur, data notula sive catenula; cuius ad finem scholae ratio exigatur tam antemeridianis quam postmeridianis scholis. In sermone quoque domestico nostrorum inter se incumbendum sedulo esset in restituendo retinendoque usu linguae latinae, quem tantopere commendant Constitutiones, et quo indigent admodum ministeria Societatis et nationum communio. Instituendi viderentur eius rei censores et poenitentiae, ut earum frequentia prope quotidiana nostros in officio contineat, eosque non solum a sermone vulgari avocet, sed a barbara quoque latinitate, quam affectare videntur interdum. Hora etiam recreationis latini sermonis habeatur ratio, prout superiores praescripserint, cum nihil in commune possit ea de re decerni. Nam, festis et vacationibus exceptis, praeterea nunquam, ne hora quidem recreationis, a latino sermone videntur eximendi, qui degunt in collegiis transalpinis propter commercium nationum dissimilium, et ut maxime recedant ab aliquot haereticis, qui linguam etiam latinam student nunc abolere ad praecedendam omnem cum catholicis societatem. In caeteris provinciis hoc iugum vix tolerabile videtur propter difficultatem latine loquendi; ut hora recreationis plena videatur moeroris et tristitiae; cum praesertim non minus egeant linguae patriae peritia pro concionibus, pro confessionibus, pro literis, pro communi vitae consuetudine. Idem de seminariis convictorum."<sup>6</sup> Notandum est illud: "animadvertere etiam in auditores, si vernacula lingua utantur, data notula sive catenula"; itaque, notula siue catenula auditores, qui non Latina lingua aliquid dixerunt, notabantur. In duabus illis Ruteniae Academiis mos erat, ut discipuli, qui in tanta culpa erant, collo suo chartae uolumen paruum et angustum, capsulae modicae

<sup>6</sup> Monumenta paedagogica Societatis Iesu. Nova editio penitus retractata. Edidit Ladislaus Lukács S. I. [Volumen] V. Ratio atque institutio studiorum Societatis Iesu (1586 1591 1599). Romae: Institutum historicum Societatis Iesu, 1986 (Monumenta historica Societatis Iesu a Patribus eiusdem Societatis edita. Volumen 129); Ratio Studiorum 1586. De studiis humanitatis. 7. P. 131-132.



inditum,<sup>7</sup> suspendere cogentur, quod uolumen illis tamen alteri discipulo tradere licuit, qui aut non Latine, aut male Latine, aut minus decenter quid pronuntiasset.<sup>8</sup> Tale uolumen et Chiouiae et Moscouiae calculus dicebatur<sup>9</sup>; itaque mos sine dubio ex Societate Iesu mutuatus est, uocabulum autem nouum: in nullo saltem lexico linguae Latinae aetatis mediae aut recentioris mihi noto legitur (dico de Lexico mediae et infimae Latinitatis Polonorum, Hoven, Niermeyer-van de Kieft, Latham, Latham-Howlett-Ashdowne<sup>10</sup>). Etymon uero a locutione “atro calculo notare” originem duxisse uidetur.

## (2) *monocrator*

Catharina Secunda Augusta celeberrimam Instructionem suam non modo aliquot uernaculis sermonibus (Rutenice Germanice Gallice Italice Anglice Barbarograece Belgice Polonice), uerum etiam Latine publici iuris factam esse uoluit. Itaque in Latinum a Gregorio Kozitskij Basili f. translata est atque a. 1770 primum edita.<sup>11</sup>

<sup>7</sup> «Узенькій, столпцеватый бумажный свертокъ, вложенный въ небольшой футляръ» (Аскоченский, Викторъ [Ипатьевичъ]. Кіевъ съ древнѣйшимъ его училищемъ, Академією, ч. I. Кіевъ, 1856. P. 144).

<sup>8</sup> Линчевский М. [Л.] Педагогія древнихъ братскихъ школъ и преимущественно древней Кіевской академіи // Труды Кіевской духовной академіи, 1870. Августъ. P. 462.

<sup>9</sup> Vide, praeter Victoris Askoczenskij et Linczevskij libros supra memoratos, Petrum Znamenskij: Прот. П. В. Знаменский, профессор Казанской духовной академии. Духовные школы в России до реформы 1808 года. СПб., 2001 (ed. I.: Казань, 1881)

<sup>10</sup> Lexicon mediae et infimae Latinitatis Polonorum. [Ed. Marian Plezia, Krystyna Weysenhoff-Brożkova, Michał Rzepiela.] Tt. I–VIII. Wrocław-Kraków-Warszawa, 1953–2009–; Hoven R. Lexique de la prose latine de la Renaissance. II éd. revue et considérablement augmentée. Avec la collaboration de L. Grailet. Traduction anglaise par C. Maas. Revue par K. Renard-Jadoul. Leiden; Boston, 2006; J. F. Niermeyer et C. van de Kieft. Mediae Latinitatis lexicon minus. Édition remaniée par J. W. J. Burgers. [Deutsche Übersetzung von S. Dase. Traduction française par A. Smets.] Vol. I–II. Leiden; Boston; [Darmstadt], 2002; Latham R. E. Revised Medieval Latin Word-List from British and Irish sources. London: Published for the British Academy by the Oxford University Press, [1965] (= [1975]). Supplement 1980; Dictionary of medieval Latin from British sources, vol. I–II. Prepared by D. R. Howlett, R. K. Ashdowne, et al. [Oxford]: Published for The British Academy by Oxford University Press, 1975–2013.

<sup>11</sup> Instructio Sacrae Imperatoriae Maiestatis Aecaterinae Secundae Coetui ad condendam ideam noui legum Codicis conuocato, plenaque ad id donato potestate — Наказъ Ея Императорскаго Величества Екатерины Вторыя Самодержицы Всероссийскія, данный Комиссіи о сочиненіи проекта новаго уложенія. Petropoli, 1770 (noua editio: Императрица Екатерина Вторая. Наказ, данный Комиссии о сочинении проекта нового Уложения. Под ред. и с предисловием д-ра юр. наук, проф. В. А. Томсинова. М.: Изд-во “Зерцало”, 2008 (Московский государственный университет имени М. В. Ломоносова. Юридический факультет)).

Ibi pericope (uel “sectione”) 151 uocem “monocrator” uidemus: “Quarta sequela: Iudices de criminibus cognoscentes, quod legum non sunt latores, non habere ius explicandi leges poenales. Quis igitur erit legitimus illarum explicator? Respondeo: Monocrator, non iudex. Munus enim iudicis est investigare tantum: is vel ille fecerit ne quid legibus contrarium, nec ne?” (p. 208 editionis a. 2008). Facile est inuenire, uocem “monocratoris” ad Rutenicum “самодержецъ» interpretandum usurpatam esse: «самодержецъ, а не судья». Haec uox itidem apud Hoven deest, dubitoque, an alibi legi possit. Vox ipsa, si uerum quaerimus, fortasse non necessaria est: Rutenicum enim самодержецъ nihil aliud est quam interpretamentum Graeci tituli αὐτοκράτωρ, quod uicissim ad Latinam uocem “imperator” reddendam in usu fuisse inter omnes constat. Tamen Rutenice ita legitur, ut Latinam uocem “imperator” subsequatur: “императоръ и самодержецъ»; interpretes aut uno uocabulo «imperator» id exprimebant, aut duplicem titulum duobus synonymis reddebant, ut fieret «imperator et autocrator»; Gregorius Kozitskij autem, nescimus quam ob causam, uoce nouata uti maluit.

Duo uocabula tantum recensui, quae Latinitatem Rutenorum a Latinitate aliorum gentium distinguant, sed pro certo multo plura in litterarum monumentis usque adhuc latent.

Michaelis Shumilin

## Emendationes duae in poetas Latinos recentiores

Viri docti antiquis scriptoribus ex coniectura emendandis operam plerumque dant; sed et recentioris aetatis opera Latine conscripta interdum non minus emendantis studio indigere uidentur. Quod hac in notula breuissime duobus exemplis demonstrare conabor.

### 1

In Gregorii Corrarrii (qui Italice Correr audit, 1409—1464) tragoedia pulcherrima circa annum 1428 edita quae inscribitur Progne uersus 918–919 sic fere nunc eduntur:<sup>1</sup>

*Chorus.* Quis, ede, durus raptor infantis fuit?

*Nuntius.* Mater citato transilit ferro latus.

Quid est, rogo, cur editores doctissimi hic *transiliendi* uerbum relinquunt, cum sane *transigi ferro latus* dicendum sit, ut e.g. Phaed. III 10, 27 *gladio pectus transigit*, Suet. Tib. 45, 1 *se... ferro transegit*, Tac. Ann. XIV 37, 16 *se... gladio transegit*, cf. etiam Lucan. III 587–588 *pectora telis transigitur*? Puto simul et codicibus eos nimium fisos esse in ea quae dicitur *lectio difficilior*, et uerbum *transiliendi* animaduertisse interdum de hastis uolantibus dici, ut e.g. in Petrarchae *Africa* III 587 (*uixque tremens profuge pars ultima transilit haste*). Sed non hasta procul dubio Procne filium suum immolat; lege ergo, errorem librariorum corrigens, sic hunc uersum:

Mater citato transigit ferro latus.

---

<sup>1</sup> Berrigan J. R., Tournoy G. Gregorii Corrarrii Veneti Tragoedia, cui titulus Progne: A Critical Edition and Translation // Humanistica Louaniensia. Vol. XXIX. 1980. P. 88; Humanist Tragedies / Tr. by G. R. Grund. Cambridge (Massachusetts); London, 2011. P. 176. Non uidi Laurae Casarsae editionem (Il teatro umanistico Veneto: La Tragedia / A cura di V. Zaccaria e L. Casarsa. Ravenna, 1981).

## 2

In *Cantico salutorio in solenni triumphali ingressu uictoris et pacificatoris Petri Magni patris Patriae, augustissimi imperatoris Rossiarum in suam imperialem sedem urbem Moscuam anni 1721, quod* Demetrius Liburkin in libro suo edidit,<sup>2</sup> uersus 17–20 sic impressit:

Temperat saevas Aquilo procellas  
 Dextramque Austro dedit, atque septem  
 Contrahunt umbras gelidi Triones,  
 Sol ut in auge.<sup>3</sup>

Num credemus sic poetam potuisse carmen numeris defraudare, ut in uersu horum secundo? Sed facile restituitur hic uersus ad numeros Sapphicos: lege modo *Dexteramque Austro dedit, atque septem*. Neque dubito quin idem et auctor ipse carminis uoluerit.

<sup>2</sup> Либуркин Д. Л. Русская новолатинская поэзия: материалы к истории. XVII — первая половина XVIII века. М., 2000. С. 228–230.

<sup>3</sup> Scilicet ἀὐγή uocabulum Graecum, ut notula nos monet.

*Ioannis Timothei Sergii f.*

## **Quibus modis quattuor elementa apud Lucretium nominentur**

Poema Lucretii «De rerum natura», quod est primum et satis magnum opus philosophum sermonis Latini usque ad nostram aetatem servatum, optimum exemplum nobis praebet ad illustrandam thesauri verborum philosophiae Latinae originem. Nonnullae partes philosophiae, praesertim quo sermone Epicurei Romani usi essent quasque loquelas usurpassent, philologos variosque eruditos illexerunt.

Nihilominus praetermissum et neglectum est, quomodo Lucretius antiquissima et primordialia philosophiae vocabula percepisset, vel potius qua ratione verba ad principia naturalis philosophiae pertinentia (quae aqua, terra, aer, ignis vulgo vocari solent) Latine nominanda fuissent. Quae quidem series verborum cum fundamenta omnis philosophiae thesauri efficit tum primum genus sermonis philosophici construisse videtur.

In opusculo meo inquirere volo, quo pacto Lucretius, Graecae philosophiae hereditate nitens, in sermonem Latinum praeclaras loquelas illorum, qui praesocratici plerumque dicuntur, verterit atque quae lingua vernacula usus ob egregium suum artificium exempla apta finxerit. Materiam vero indagatoni primus liber Lucretii praestitit, cum hic tantum recognitionem doctrinarum philosophorum contineret.

Postquam Lucretius prolixa oratione docuit lectorem materiam et inane esse, nullam aliam tertiam naturam constare, antecedentium philosophorum Graecorum comparisonem ab Heraclito (I 635–704) incipit. Poeta Romanus Heraclitum argumentis appositis agit, placita philosophi Graeci acriter impugnat. Magni momenti est hic in Lucretiana disputatione usurpatio verborum: septies decies poeta substantivo «ignis» significante principium et semel (I 679) adiectivo «igneus» utitur. Ignis Heraclitei aliter appellandi gratia quater

synonymis Carus utitur. Similem modum scribendi poeta servat ad refutationes doctrinarum ceterorum praesocraticorum philosophorum componendas.

Per totum locum illum libri primi, quod placita philosophorum tractat, Lucretius largiter diversis dictionibus ad elementa nominanda allatis elocutionem meliorem accuratioremque reddere conatur: quattuor synonyma (ardor, ardoris natura, corpus ignis, calor) «igni» subiunguntur, quinque «aeri» atque idem numerus in verbo «aqua» valet.

Tabula principiorum praecipuorum eorumque synonymorum potissimorum			
Ignis	Aer	Umor	Terra
ardor (650; 668; 777) ardoris natura (682; 702) calor (786) ignis corpus (770/771)	anima (715) aeriae aurae (771) aurae aeris (783/784) aeris aurae (801) aura (853)	umor (708; 786; 853) liquor (713) imber (715; 784; 785) ros (744; 777), ros liquoris (771)	corpus terrae (1 770)

Ignis: Lucretius nusquam ignem cum sole comparat, Empedocles vero in poemate suo non abstinit quin verbis «ὁ ἥλιος (sol)» vel etiam «Ζεὺς (Zeus)» pro igne (τὸ πῦρ) uteretur. Poeta Romanus a verbis «aether» vel sol sensu notionis philosophicae abstinit.

Aqua: Quod ad aquam denotandam attinet, Lucretius, mirabile dictu, vocabulo «aqua» ut proprio philosophiae abuti fugit. Ubi Empedocles vocabula «ἡ θάλασσα» et «ὁ πόντος» pro «ὔδωρ» posuit, Lucretius tamen talem licentiam imitari non ausus est.

Per collationem Graeci et Latini poetarum nobis clarum fit novamen sermonis Lucretiani «imber» pro «aqua», quod sequitur Empedocleum vocabulum «ὁ ὄμβρος (ignis)». Novamen enim «ros», quod Graecum «ἡ δρόσος» aut «ἡ ἔρση/ἔέρση» velut simile habere debuisset, proprium Lucretianum esse videtur. Fieri quoque potest ut ex amissis Empedoclis versibus sit.

Aer: Varietas synonymorum apud verbum «aer» conspicitur difficilis explicatu, potius vim poeticam divitiasque linguae Latinae demonstrans.

Terra: Verbum «terra», cum elementum philosophiae antiquae significet, a tractatione ceterorum principiorum magnopere distat. Sola enim variantia huius vocabuli — corpus terrae (I 770) — in poemate inveniri potest. Cum «terra» ut vocabulum sermonis quotidiani fungitur, synonymis plurimis poeta fruitur, quae «humus», «solum» et «tellus» sunt. Proprietas verbi «terra» est, quod promiscue in eodem libro sensu philosophico et vulgari interponitur.

Usus verborum Lucretianus non severus, sed potius solutus vocari debet. Methodus Lucretii in eo est, ut poeta composita multiplicia quae tamen pleonasmō similia esse et imitari genus dicendi ipsius Epicuri («ardoris natura» pro plano verbo «ardor»), videntur libenter efficiat.

*Terentii Tunberg Lexintoniensis*

## **De Helgo Nikitinski**

Terentius hominibus doctis s. p. d.

Moscoviam ad memoriam viri, cui pares eloquentia et scientia litterarum exstiterunt paucissimi, celebrandam atque prosequendam congregati estis. Quorum a coetu etsi corpore abesse cogor, verba tamen mea per litteras allata ut patienter et animo benigno audiatis oro. Vos enim de Helgo Nikitinskio alloqui volebam, quocum sum bis dumtaxat congressus, paulo quidem saepius epistularum commercia frequentavi; cuius autem scientia et opera litteris Latinis recentioribus feliciter navata numquam fere non utor ac fruor.

De vita Helgi deque rebus ab eo gestis vix equidem sum idoneus qui dicam, utpote cui numquam fuerit talis necessitudo cum Helgo, ut multa de huiusmodi rebus discerem. Sciebam autem virum in omni eruditionis atque humanitatis genere perfectum et perpolitum esse, et mirabar quot linguas perdocte calleret. Helgus mihi omne vitae tempus disposuisse videtur, ut numquam non aliquid doceret aut disceret.

Multo igitur facilius mihi est de operibus ab Helgo scriptis quam de eius vita disserere. At mihi tot eius scripta, unde tanta elucet eruditio, diligenter consideranti modus quidam statuendus erat. Ita equidem has litteras compositurus ut in conventu vestro apte et congruenter recitarentur, periculum esse intellegebam ne dies vos in conventum convocatos citius deficeret, quam ut omnia, quae de Helgi scriptis proferre voluissem, commode audire possetis.

Sufficiant igitur haec pauca indicia, quibus auditis utinam vobis omnibus sit perspicuum cur omnes litterarum Latinarum recentiorum studiosi tantam habeamus gratiam Helgo: qui quidem operam haud exiguam scriptoribus veteribus (velut Callimacho Persioque Flacco) dedit, sed sic in monumenta litterarum Latinarum recentissimo aevo condita incubuit ut vix ullus aequalium nostrorum alius: ita enim inquisivit in libros posteriore aevo Latine scriptos, ita opera



Latina recentissima illustravit atque in nova quadam luce collocavit, ut eloquentiam Latinam hisce saeculis novissimis evanidam ac quasi moribundam fuisse (id quod iam diu docti homines opinabantur) tandem aliquando negare possimus.

Memorare igitur in primis volui, quando ita res tulit, dialogum ab Helgo compositum, qui *Sergius, sive de eloquentia grammaticorum saec. XVII et XVIII* inscribitur, opus omni eruditione mirabiliter refertum, cuius simile nihil est hisce fere tribus quattuorve saeculis divulgatum. Vestigiis enim Ciceronis, Taciti, Cortesii, Famiani Stradae, aliorum grammaticorum praeclarorum insistens dialogum de ipsa eloquentia scite et venuste composuit, quem qui diligenter legeret, volens nolensve quodammodo de momentis deque progressionem eloquentiae Latinae recentioris omni ex parte cogitare cogere.

Nec uno modo de nonnullis grammaticis hominibusque doctis, quorum eloquentia Latina hoc recentiore aevo enituit, optime meritis videtur esse Helgus. Eximias quasdam orationes (velut Davidis Ruhnkenii) recensuit, commentariis instruxit, in lucem denuo edidit. Multas praeterea commentationes edendas curavit, quibus opera horum oratorum recentiorum innotescerent: tot huiusmodi opuscula in publicum emisit, quot tam brevi tempore (quod nobis est concessum) nequaquam possumus enumerare.

Helgus Nikitinski litteras Latinas recentissimas nobis, ut ita dicamus, aperuit ac patefecit. Effecit ut docti homines de his litteris aliter cogitarent. Effecit ut intellegeremus has quoque litteras ad patrimonium Latinum pertinere, dignissimasque esse quas homines cultus Europaei studiosi investigarent.

Gratias tibi, O Helge, ob donum maximum, quod eruditione tua ac scientia fretus nobis dedisti.

## **II. LITTERAE LATINAE RVTENORVM**



## Michael Lomonosouius<sup>1</sup>

### PANEGYRICVS ELISABETAE AVGVSTAE RVSSIARVM IMPERATRICI PATRIO SERMONE DICTVS ORANTE MICHAELE LOMONOSOW. LATINE REDDITVS EODEM AVCTORE

Quodsi hoc illustri solemnique die, Auditores, quo sub faustissimis auspiciis clementissimae Principis nostrae innumerabiles populi, placidissima tranquillitate fruentes, triumphant gaudio, et gloriosissime suscepti haereditarii Imperii suavissima memoria oblectantur, fieri posset, ut nos laetitia elati, relicta terrarum sede, eo altitudinis pertingeremus, unde amplissimum Illius Imperium oculis subjicere, et hilarissimas gestientium voces ab oriente sole ad occidentem personantes, ac Elisabetam ad sidera efferentes, exaudire liceret; quam pulchrum, quam magnificum, quam jucundum nobis spectaculum praeberetur! Quam multiplici solemnium forma perfrueretur animus, si per urbes firmius pace quam muris munitas, perque rura plenis horreis beatissima, ad maria a bellorum procellis et metu libera, inter amnes, amoenissimas ripas ditissimis undis interfluentes, per campos ubertate et securitate pulcherrimos, per montes sublimius prosperitate surgentes, perque colles laetitia exsultantes, diversos incolas diverso ritu, diversos ordines diversa pompa, diversos populos diversis linguis, unam efferre laudibus, unam laetis acclamationibus extollere, per unam eandemque clementissimam suam Dominam se beatos praedicare, sensu perciperemus! Hinc religiosissimum sacerdotum ordinem cum surgentibus ad coelum thuris odoribus miscere supplices voces et vota pro incolumitate Autocratoris suae protegentis et ornantis alta in pace Ecclesiam Dei; inde insonare per aëra sociatos laetissimo pacificorum armorum fragori triumphales plausus Russiaci militis ardentissimum amorem erga felicissimam ac liberalissimam Dominam suam testantis:

<sup>1</sup> Михаил Васильевич Ломоносов (8 (19) ноября 1711, дер. Мишанинская Курортровской волости Двинского у. Архангелогородской губ. — 4 апреля 1765, Санкт-Петербург).

hic proceres atque cives festivum celebrare convivium, crebrisque usurpare sermonibus Petri Magni labores, quibus vigilantissima ejus Filia summam imponit manum: ibi post fertilissimae aetatis sudores, circum collectas sine strepitu fruges, choros agere ac tripudiare agricolas, et rustico quidem carmine, sincero tamen ex animo Propugnatricem suam decantare: tum nautam fidissima fretum statione superatos procellarum furores laeta memoria repetere, et geminato gaudio diem hunc celebrare; rursus per vastissimos Asiae tractus campestres incolas equitare alacres, missisque mira arte sagittis indicare, quam prompti paratique sint eas super hostes Dominae suae fundere. Quamvis autem humanae conditionis ratio haud patitur, nos tam sublime evehi, tantique spectaculi varietate recreari, tamen mente exsurgimus, et publica gaudia usquequaque animi oculis contuemur. Qui praesertim ad antiquam Imperantium sedem, expectatissima praesentia Serenissimae Imperatricis illustratam respiciunt. Saepius animus noster, perlustrata solemnum varietate, qua felicissimum Russiae Imperium hodie exornatur, ad Augustam convertitur, et disseminata passim gaudia in serenissimo Illius ore sociata reperit. Ex hoc enim veram pietatem delicias Ecclesiae, ex hoc masculum vigorem militaris incitamentum virtutis, ex hoc clementem justitiam exemplum iudicum, et miserorum solamen, ex hoc sapientiam futuri providam et consciam, remoti etiam e longinquo lucem suam nobis offundere sentimus; hoc absentes ut praesentes colimus. Sed quis attentiore mentis oculo sanctissimos Illius vultus contemplatur, quam haec, quae ad propagandas in Russia optimas artes atque scientias a Petro Magno fundata est, Academia, incredibili munificentissimae Ejus Filiae Liberalitate restaurata? Non sylvae, non montes interpositi abscondere valent Divinam Ejus Faciem, quae animis nostris infixata est. Obversatur nobis vividissima imago suavissimi oris, erectos nos esse imperantis, et oculorum mitissime nos inspectantium, et munificentissimae manus, prosperitati nostrae subscribentis. Exsuscitare nascentes Musas erogando largissimos sumptus, stabilire earum securitatem scriptis consentaneis legibus, munire singulari gratia in propriam receptas tutelam, patefacere illis ad se liberiores aditus, demandata earum cura intimorum suorum procerum benevolentissimo, est amplissimum beneficium, cujus memoria nulla oblivione ex animis nostris delebitur;

pro quo, adhibito summo ad propagandas optimas artes atque scientias studio, et ornando munificentissimam Dominam, laudibus re ipsa et animo gratissimos hos testari debemus. Quo autem magis tempore aequum est ad agendas optimaе Principi gratias nos excitari, quam solemnissima hac die, Imperio Russiae mascula virtute Illius suscepto illustrissima, ubi singulari gaudio nostro publica celebratio conjungitur? Non se capit pectoris angustiis tantae laetitiae magnitudo, sed ex ore atque oculis multa et candida prorumpit. Intenduntur summae rationis et orationis vires et exprimendas vere Regias Augustae virtutes, delicias subditorum, miraculum orbis, gloriam et ornamentum seculi nostri.

Rem arduam, quae modulum ingenii mei excedit, aggredior, cum in hoc nobilissimo atque celeberrimo audientium coetu, tot eruditissimorum virorum nomine, pro incredibili munificentia, maximae inter Dominos terrarum Principi agere gratias atque laudes impertire incipio. Sed quum diligentius expendo, eandem haud ita difficilem invenio. Quod enim dicendi genus uberius invenire eloquentia, qua in re latius diffundi ingenii vires, ubi denique flagrantius spirare devotissimi amoris ardor potest, quam in laudibus tantae Principis celebrandis? Et hanc meam linguam liberalitate Illius animatam quando flecti promptius, et istam meam vocem munificentia Ejusdem firmatam quando elevari altius par est, quam praedicando atque celebrando divinas Illius dotes? Non verbosa cogitationum exaggeratione amplificata, non exquisito verborum lenocinio compta, non artificioso Rhetorum incessu elevata erit haec oratio mea; sed quidquid fertilitatis, quidquid suavitatis, quidquid sublimitatis aut pompae habebit: id omne ingentibus Augustae factis, pulcherrimisque Ejus virtutibus atque devotissimo ferventissimoque amori nostro acceptum feret. Quandoquidem aguntur gratiae Dominae piissimae: testes sunt tot exornatae Divorum arae, exstructa templa, tamque crebra jejunia, supplicationes et peregrinationes ad vota persolvenda institutae; aguntur gratiae Dominae fortissimae: testes sunt tot clarissimae victoriae a domesticis et externis hostibus reportatae; aguntur gratiae Dominae magnanimae: testis concessa illis delictorum et audaciae impunitas; aguntur gratiae Dominae sapientissimae: testis est prudentissime instituta rerum ordinatio ad pacem domi et foris firmandam; aguntur gratiae Dominae mansuetissimae: testis est

materna Illius erga subditos comitas et acceptissima lenitas; aguntur gratiae Dominae clementissimae: testis est innumerabilis multitudo liberatorum a mortis poena, et concessus Illi a Deo gladius ad punienda crimina nondum sanguine humano tinctus; aguntur gratiae Dominae liberalissimae: testes sunt amplissimis praemiis ornata fidelitas, honorata praeclaris muneribus merita, erecta opibus egens et fracta calamitate probitas. In amoenissimo florentissimoque campo animus expatiatur meus, et inter varios pulcherrimarum virtutum flores ambiguus versatur! Omnes sunt memorandae, amplectendae omnes; ex omnibus elucet quam nobili stirpe tanta laudum seges sit procreata. Ex omnibus atque singulis Augustae virtutibus patet Serenissimorum Illius magnitudo Majorum, quibus resuscitata, elevata, firmata, amplificata, illustrata Russia super omnes terrarum gentes caput suum effert, quorum splendida facinora, magnaue erga Patriam merita non minus ad laudes Principis nostrae pertinent, quam Ejus procreatio ab illorum sanguine derivatur. Idcirco adumbrarem hic vobis Michaellem, tenera in aetate, propter gemitum et lacrymas majorum nostrorum suscipientem cum Regio diademate grave onus prostratae Russiae, renovantem dirutas urbes, instaurantem eversas aras, congregantem fugatos et dispersos cives, resarcientem direptos Imperii thesauros, exterminantem nefarios Russiaci sceptri usurpatores, et Mosquam ab infestissima audacissimorum hominum peste liberantem, et a lugubri vastitate revocantem; proponerem vobis prudentissimum et fortissimum Alexium vigore animi exsuscitare Russiam, jam suos moventem lacertos, firmare fortunam subditorum salutaribus legibus, exercitum militari disciplina, Ecclesiam exstirpata haeresi, circumferre victricia arma sua per Sarmatiam, magnasque provincias, ad Russiam antiquitus pertinentes, justissimo bello recuperare; redigerem in memoriam vestram Petrum, nomine Magnum, rebus gestis maximum, ut divinae sapientiae lumine illustraret Russiam et fortitudine orbi terrorem injiceret, ut altera manu sceptrum teneret atque gladium, altera optimas amplecteretur artes, et regendi arte omnes terrarum principes, laborum patientia servos suos vinceret, ut exterminaret barbariem et introduceret scientias, ut impleret novo exercitu terras, novaue classe maria occuparet, ut bellicas artes suo stabiliret exemplo, et secum Patriam ad sidera extolleret; depingerem vobis Heroida

pulcherrimam Catharinam Augustam, inter barbarorum incursus, inter fragorem armorum et globorum stridorem immotam animo, Sapientissimo Principi sapientissima consilia adferentem, coronatam denique Illius manu, et interruptos morte indefessi Russiaci Herculis labores foemineis, fortissimis tamen, humeris susipientem; verum tamen ad proprias Autocratoris nostrae virtutes atque pulcherrimas animi dotes festinat oratio mea, in illis solum vires consumtura suas, non equidem singulis enumerandis, sed potioribus percensendis. Quapropter praetereo tacitus excellentem pulchritudinem formae Ejus, pulcherrimi indicem animi; non commemoro honorem capitis ad portandum diadema nati, non proceritatem, non firmitatem corporis principibus decoram, non sacratissimum os gratiarum sedem, non serenissimos oculos hilaritatis et solatii fontes. Nam omnibus spectandam se praebet clementissima Princeps. Spectant omnes et clarissime in animo repraesentant, sic Petrum Magnum circumtulisse oculos, cum renovari a se Russiam contempleretur; sic elevasse vocem, cum ad proelia milites, ad laborem subditos exhortaretur, sic extendisse manum, cum instauraret artium scientiarumque officinas, cum instrui aciem, vel portu excedere classem imperaret; sic elevasse caput, cum ingrederetur captas urbes, et projecta hostium arma calcaret; sic erectum incessisse, cum surgere sua moenia, reformari judicia, aedificari naves, et mediis ex undis arces atque portus erigi cerneret. Non praedicandis Augustae speciei miraculis immorabor, verum omnem meam operam conferam ad excellentissimas animi dotes, pulcherrimasque Principis nostrae celebrandas virtutes, quarum ducit chorum suavissima Deo, suavissima mortalibus pietas, firmum praesidium regnorum, decus et ornamentum diadematum, certissima fiducia in proeliis, arctissimum vinculum societatis humanae. Quam perniciosae turbae, quam cruenta luctuosaque bella inter gentes, cognatione sanguinis et sermonis sociatas, religionis dissidio concitantur, tam stricto amoris nexu conjungit illas unitas fidei, quae multum quidem doctrina, plus tamen exemplis corroboratur. Felix est Russia, quae una lingua unam fidem profitetur, et unius piissimae Principis imperio administrata maximum documentum, et verae devotionis instar in Illa coram constitutum habet. Videt ut sidera coeli collucere ubique Divorum aras, sanctissimisque Ejus votis in dies magis



magisque clarescere. Saepius miratur tot populorum Dominam, cui terra, maria et aër in suppeditando victu famulantur, fidei constantia roboratam, parcissimo cibo diuturna jejunia solari; eam denique, ad quam portandam non solum superbi currus et lectissimi equi, verum etiam humeri cervicesque nostrae sunt paratae, divino amore excitatam, inter suos subditos, ad celebrandas religiones, longa itinera pedibus emetiri. Quanto Dei amore inflammantur nostra pectora, quantaque fiducia gratiam illius nobis exspectamus, quando Principem nostram simul nobiscum adstare altaribus, et devotissimo animo ardentissimisque precibus sacra prosequi, ante oculos habemus! Quam animosos et alacres ad conserendas cum hostibus vires praebent se Russiaci milites, cum persuasum habeant, fortissimum in proeliis Deum, Deum piissimae suae Dominae propitium pro illis depugnaturum stare in acie! Quanto gaudio perfunduntur sanctissimae religiones acceptissimis Deo salutationibus Ejus celebratae! Ornata piissimis Illius votis, tanquam sponsa nuptialium celebritate sacrorum, triumphans Russiaca Ecclesia, purpura auroque fulgida, magis autem laetitiae et gloriae Majestate eminens, ascendit ad circumfusum divina luce sponsi sui solium, et splendidissimum cultum suum ostentans, sic, inquit, exornat me in terris suavissima tua Elisabeta; exorna sceptrum et diadema Ejus decore perennis gloriae: auget dignitatem meam in mundo; amplifica potentiam Ejus super omnes terrarum dominos: visitat me devotissima visitatione; visita Illam semper visitatione gratiae tuae: firmat columnas meas in Russia; firmam ac inconcussam valetudinem Ejus conserva: affert mihi opem et auxilium ad conterendam impietatem; affer opem et auxilium Illi ad conterendos superbos et invidos hostes, et Divino tuo numine ac virtute tua desuper tuere Illius militiam. His sacratissimis ecclesiae vocibus consentiunt omnium subditorum vota. Hinc credimus invictum illum piorum Propugnatores, gloriae Dominum, in omnibus Principis nostrae consiliis et conatibus ducem et auspiciem esse, et altissima dextra sua dirigere Ejus fortitudinem, cui non illi, qui insederant atque inveterant in visceribus Russiae, non qui fines illius oppugnaturi erant, hostes resistere valuerunt. Ad hos enim debellandos unius aestatis curriculum, ad illos vero opprimendos una nox suffecit. Obsessum firmis praesidiis Patrium diadema, fortique manu occupatum sceptrum recuperare, et

magna vi praereptum Russiae Imperium redigere in ditionem, est facinus virili etiam animo formidabile, et a magno Heroe vix perpetrandum. At divino numine excitata Princeps nostra, parvo satellitio fidelium patriae filiorum comitata, obstantia contemnit et vincit fata, triumphum sine sanguine agit, et publicum adfert gaudium, haereditatem consecuta. Pulcherrimum admirandumque spectaculum animo praebet meo, cum mihi repraesento, praeire cum signo Crucis Virginem, armatos milites sequi; Illam Patria virtute et ardentissima erga Deum pietate, hos devotissimo erga Ipsam amore incendi; Illam ad explenda totius Russiae vota, hos ad exequendam Illius voluntatem festinare; Illam victoriae jam proximam cruentam victoriam abhorrere, hos orbis terrarum potentiam Illius causa oppugnare non dubitare! Quid vero tandem sequitur? Obstupuerunt praesidiorum catervae, cum Petri Filiam venire sentirent, et sensu carentia arma trepidantibus excussa manibus coram legitima Domina sua procubuerunt. Perfunditur lumine Regia, Illa intrante, collustratur thronus, ascendente, et exsultantibus Russiae civibus etiam moenia Petri se commosse sunt visa. Contremuerunt tum perfida Botnica littora, et ingruentes finibus nostris superbi hostes repentino terrore exanimati diffidere rebus suis coeperunt, et fugam potius maturare quam proelium committere cogitabant. Repraesentabant perterritae eorum mentes Petrum Magnum in fortissima illius Filia redivivum. Oberrabat illis tristissima et sanguinolenta imago patrum, per Poltavae campos fusorum. Concipiebant animis gentis suae myriades super divisos infinita vastitate interjacentis soli campos duci captivas, flammis corripere urbes at agros, trajici siccum pariter ac freta triremibus, erumpere ex mediis maris fluctibus equites. Equidem profligati erant proelio hostes ad Willmanstrandiae muros; ambiguo tamen diu certatum est Marte, senserunt strenuae Russiaci militis manus obstantem pertinaciam cruentamque palmam obtinuerunt. At quamprimum Patrium sceptrum et gladium suscepit Augustissima Virago, tum non secus ac rapacissimo quodam turbine concussi in fugam se conjecerunt, desertisque munitionibus, firmissimus moenibus, praecisis sylvis, et rapidissimis fluminibus, cogitarent ea defendere, sed ne respicere quidem sunt ausi, cum metu abjecti cogitarent, nec uliginosas paludes, nec torpentes lacus, nec alta praecipitia remorari posse justissimam Principis nostrae

iram, et impetum fulminei Ejus militis. Denique eo angustiarum erant compulsi atque coacti, et victore exercitu ita claudebantur terra marique, ut, si non magnanimae Victricis lenitas illis saluti fuisset, tum nemo eorum mortem effugisset, nec nuncius quidem tantae cladis superfuisset, qui omnium interitum domi prius referret, quam celeberrima Principis nostrae fama id divulgaret. Haec victoria eo fuit maxime memorabilis, quod et Mars ipse mitissimum Principis nostrae ingenium imitari, et humano sanguini parcere videretur, et tota Europa judicasset Russiam non bello cum hostibus decertasse, sed solum temeritatem poena affecisse. Res sermonibus gentium est percelebrata, magnanimitatem propriam Principis nostrae esse virtutem, qua erga infensissimos etiam hostes suos utitur, cujusque ante devictos et confusos externos, etiam erga domesticos inimicos magnum exhibuit specimen. Confugit in sinum Illius conturbata Russia, et voce lectissimorum filiorum suorum sic fidem et amorem suum testata est: Recipe te maternos in amplexus Tuos; capesse haereditarium sceptrum Tuum, et Patria virtute animata omnibus obstaculis esto major. Pone fiduciam in Deo, qui justae tuae causae et salutaribus coeptis aspirabit; pone fiduciam in Te ipsa, quae unica es legitima haeres, et Filia mei Sideris; pone fiduciam in me, quae, quidquid firmamenti ac virium habeo, saluti et gloriae Tuae propugnandae impendam, perque concisa hostium Tuorum corpora viam ad solium Tuum recludam. At magnanima Princeps maluit potius haereditate Sua ad tempus privari, quam illam adire profuso sanguine. Tandem vero periculo et nutatione Patriae coacta magis, quam Majestatis desiderio mota, accedit ad gubernandum, seu verius ad conservandum Imperium. Constituta in summa rerum omnium potestate, in eos, qui Patria haereditate Ipsam excludere, qui nefaria insectatione affligere, et impudentissimo fastu contemnere non dubitarunt, quamnam vindictam exercet? divina lege atque humana, optatisque Russiae civium ad acerbissimos cruciatus, ad atrocissimam mortem condemnatos, tantum a serenissimo conspectu suo vult esse remotos, et qui vita indigni judicati sunt, licentiore solum vita privatos vivere jussisse contenta est, et hac moderatissimi animi gloria magnum suscepti Imperii atque heroicum facinus majus reddit atque illustrius. Haec autem Augustae magnanimitas tanta est, ut etiam ultra vastissimi Russiarum Imperii fines ad externas gentes exundet. Victa est Suecia

Illius armis, sed magis victa magnanimitate Ejusdem; stupet invictissimum Illius exercitum, sed magis suspicit generosam animi excelsitatem. Quandoquidem acceptis tot commodis totque praerogativis invictissima Princeps cum victis penitus pacem componit, vel, ut verus dicam, veniam temerariis tribuit. Qui omnem hostium exercitum victum comprehensumque, et ex arbitrio suo pendentem tenet, ac ipsum belli impetu perculsum atque prostratum, attolit, nonne is culpam potius remittere, quam pacem componere dicendus est? Sed longius progreditur praeclara haec Principis nostrae virtus, magis illustre exemplum magnanimitatis exhibet Russiaca Herois. Etenim non solum data hostibus impunitate, tranquillissimam pacem et subactas ante armis suis eorum terras illis restituit, verum etiam eadem arma ad ipsos propugnandos extendit; reprimit ingruens illis novum bellum, atque firmata regni haereditate, asserit eorum libertatem. His perpensis, consideratoque florentissimo statu Russiaci Imperii, et ubertate amplissimae Patriae nostrae, perspectaque lenitate, qua clementissima Princeps nostra tot adorantes Ipsam populos moderatur, num etiam existimatis, finitimae gentes, generosum Illius animum ad vindicandas sibi alienas terras esse pronum? Inviasne paludes concupiscet, quae tot longe lateque patentes fertilissimos campos possidet? torpentiumne stagnorum desiderio afficietur, quae super tot annes, vastissimo Nilo ampliores, uberrimis undis in obedientia Illius profluentes, sceptrum suum extendit? et quae in terris lacte et melle affluentibus dominatur, rupesne et saxa sterilia requiret? Quamvis enim strenuissimum Russorum exercitum ad arma capienda procinctum, classemque ad frangendos Balticos fluctus instructam esse, omnem denique militiae apparatus adornari non ignoratis, eo tamen non bellum cuiquam comparari, sed securitati nostrae a sapientissima Elisabeta provideri intelligite. Peritus nauta non furentibus solum fluctibus et procellis, verum etiam, cum mitissimum coelum sit, vigilat, firmat armamenta, vela expedit, observat sidera, coeli vicissitudines animadvertit, in distantiam littorum computatione inquit, pertentat altum maris, et scopulorum fraudem evitare curat. Simili Ratione sapientissima Elisabeta quamvis laetissimis oculis videt suos subditos carissima, quam illis attulit, pace frui; verum tamen etiam futurae eorum indolentiae propiscere non desistit; tuetur illos

explicato terra marique exercitu, eosque, qui armati nobis sunt impares, animo bellum gerentes acutissima mente observat; scrutatur profundos cogitationum recessus, ubi placida quiete clandestinus dolus adumbratur; expendit praeterita, praesentia discernit ac praevidet futura. Itaque si quis prosperitati nostrae invidens eo insolentiae furorisque processerit, ut amantissimam pacis Principem nostram excitet ad iram; nae ille, sive interfuso mari, sive vastissimis amnibus, aut denique montium praecipitiis defenditur, vigilantissima Illius cura omnia persapienter provisa experietur, indignationemque Ejus sentiet ita, ut poena perculsus, interceptum esse mare, exaruisse amnes, et montes in apertas planities subsedissee, nec classem Russiacam, sed terras nostras sibi illatas arbitretur. Fruere suavissimo otio tuo, carissima Patria, et sub auspiciis sapientissimae Autocratoris Tuae tranquillissimi seculi utere deliciis. Quam secunda est felicitas tua! Quanto multis aliis populis es beator! Quidam enim luctu perditum fumantes urbium ruinas respiciunt; tu vero surgentia ad nubes magna tecta laetis metiris oculis. Alii concitatam civium multitudinem dies noctesque stricto ferro concursare, et germanum sanguinem per viarum compita profundere, trepidantes spectant; tibi vero unanimi obedientia conjunctissimi communis omnium Parentis et Dominae filii augent ornamenta. Plerique interrupta mercatura, disturbatis opificiis, desertaque agricultura, fame confecti algent; at tu apertam undique mercantibus viam, patentes portus, foraque ditissimis mercibus plena habes; tibi artes atque scientiae vernant, tibi horrea frugibus exuberant. Alii denique quamvis belli strepitu ac horrore jam liberati sint; luctuosa tamen vestigia hostis sui exhorrent, et ferocissimus illius aspectus adhuc illis ante oculos versatur: te autem in secundo vitae sine ulla offensione cursu nec per somnium oblatis proeliorum terrores turbant. Haec carissima, sanctissimaque otia sapientissimae tuae Principis cura tibi fecit. Illius providentia atque consilium auget tuas opes, afficit te publicae concordiae voluptate, locupletat imperturbata agrorum mercatorumque diligentia, exornat jucundissima pace, et inclita nominis tui fama orbem terrarum replet. Hanc consummatissimam indolentiam nostram, atque communem voluptatem, haec amplissima opum incrementa, jucundissima ornamenta, hanc denique celeberrimam gloriam nostram auget atque cumulat incomparabilis Princeps nostra

incredibili mansuetudine sua, cum in summo rerum humanarum fastigio constituta, inusitata erga subditos suos comitate supra mortalium sortem evecta videatur. Quid enim pulchrius, quidve jucundius visu, aut quid minus usitatum est, quam terrarum Dominam, ab omnibus gentibus Principibusque venerandam, blando adpectu, placido colloquio et clementissima conversatione servos suos dignari videre? at nos tanti spectaculi voluptate saepissime fruimur. Discernitur mansuetissima Princeps a frequentissima circumstantium subditorum multitudine non fastuoso obtutu, non indignabunda voce, non minaci imperio, sed acceptissimo Majestatis decore, mitissima auctoritate, generosa popularitate, et divino quodam numine, ineffabile gaudium pectoribus nostris inspirante. Versatur pro foribus sanctissimae Illius domus non terror trepidus, sed mitissima mansuetudo, devinciens sibi omnes clementia, et fidissimus Majestatis custos amor populi. Hanc ingredienti non timidos oculos circumferunt continuo, parietum etiam conspectu perturbati, sed praecurrentem sibi laetitiam consectando sacratissima alacres subeunt limina. Nec operta mentium rimari necesse est; extat in vultu cujusque hilaritatis publicae decus, et in serenis frontibus animorum indicia praeleguntur. Quam jucundissimo sensu perfunduntur pectora eorum, qui tam comem Majestatem intuentur! Quanto solatio recreantur pavidis sotes, cum clementissimae Elisabetae misericordiam animo expendunt, quam nulla vis dicendi complecti potest! Nihil est tam laudabile, quam lenitas, nulla ex virtutibus misericordia est gratior, nulla re homines propius ad divinam naturam accedunt, quam salutem hominibus et sotentibus impunitatem dando. At ubi clementia in judicio magis praedicatur, ubi justitia et misericordia strictius conjunguntur, ubi convictio atque venia arctius sese amplectuntur, ubi denique condemnatio et liberatio conjunctius sese exosculantur, quam coram celsissimo Augustae Elisabetae solio? Occidant alii, ut velint, cives suos, eosque ad pauciores redigant, tingant ferrum sanguine, et discerpta hominum membra populo spectanda objiciant, eoque terrere improbos et scelera exterminare contendant; clementissima tamen Princeps nostra misericordia et liberalitate plus proficit. Statuant alii terribilia ad perducendos homines ad frugem exempla; sed illa jucundissimis feliciter idem exsequitur, cum virtutem beneficiis propagare studeat. Si quis horti cultor de frugiferis

florentibusque plantis irrigandis minus sollicitus, sola zizania excindere curat, is flore et fructu brevi se frustratum sentiet; contra qui fructiferas arbores et nascentes flores humore perspergere tempestive studet, despiciendo lolium, et transitu solum calcando, is ex floribus voluptatem, ex fructibus utilitatem capiet, cum fructuosae interim arbores auctis suis viribus succum et nutrimentum noxiis germinibus subducant, ariditate ac putredine ab stirpe interituris. Ita quoque licet utile sit legibus in scelera animadvertere, tamen, nisi etiam virtus justo ornetur praemio, vix alicujus fructus est: cum eo bonorum animi magis percellantur quam mali cogantur redire ad frugem. Contra, cum honoratur muneribus virtus, cum praemio afficiuntur merita, id solum, levior sit licet transgressorum punitio, sufficiet ad corrigendos hominum mores. Nam cum senserint se despectos et afflictos improbi, cumque cohonestatam virtutem justa sua mercede frui intellexerint, tum vel invidia confecti concident, vel converso animo a vitae pravitate, simili laudis honore dignos se praestare operam dabunt. Hujusmodi prudentissimo consilio utitur clementissima Elisabetha, quo in vastissimo Imperio suo virtutem propagare et scelera extirpare atque exterminare curat; castigat ut Mater, ut Princeps afficit praemiis, emendat absque severitate, ex abundanti confert munera: resuscitat errore lapsos, salutem illis impertiendo, accendit muneribus bene meritam virtutem. Quamvis autem tantam Augustae liberalitatem quilibet fidelis subditus, omnisque Russia experiatur; quamvis munificentissima Illius manus passim largissima distribuat munera: tamen instaurata a carissimis Parentibus Ejus haec Academia, in tantum a magnanima Domina sua locupletata est, ut nec majorem felicitatem desiderare, nec ad testandum gratissimum devotissimumque animum apta satis verba reperiri posse arbitretur. Hoc autem beneficium eo est majus, eo splendidius et Filiae Petri convenientius, quod non solum ad hanc societatem, non tantum ad consecratam studiis hanc juventutem, sed ad cujusvis ordinis atque conditionis cives, totumque Russiarum Imperium, atque adeo ad universum genus humanum spectat. Quandoquidem non solum nos, sustentati Augustae liberalitate, quidam in perscrutandis naturae mysteriis, mirabilibusque operibus sapientissimi Creatoris contemplandis, operam nostram collocamus, alii instituendo studiosam juventutem, germinantem jam segetem,

laboribus nostris responsuram, laeti sentimus; non solum discentes largitate Autocratoris nostrae nutriti, omnibusque necessitatibus provisi, unice litterarum studio invigilare possunt; verum publica felicitas proponitur. Non locus est ullus in Russia, a Petro illustrata, ubi non fructum ferre possint scientiae; non homo est unicus, qui non commoda sibi ab illis praestolari queat, Quid sanctius quidve magis salutare esse potest, quam perpendendo Dei opera, altissimam gloriae ejus sedem mentis oculis contueri, ac majestatem, sapientiam et potentiam ejusdem depraedicare? hunc autem in finem patefacit Astronomia vastissimum ejus opificium, mundum hunc adspectabilem, et stupendorum illius operum multiplex artificium ostendit Physica, atque uberrimam materiam offert ad cognoscendum et celebrandum Creatorem ex operibus ejus. Quid utilius humano generi est ad communicanda mutua commoda, quid navigantibus tutius, quid magis commodum peregrinantibus, quam novisse situm locorum, fluviorum cursum, distantias urbium, amplitudinem, ubertatem et confinia regionum, mores, consuetudines, regiminaque populorum? haec clarissime ostendit Geographia, quae universi terrarum orbis vastitatem uni conspectui subjicit. Quid ardentius militares animos ad splendida facinora et ad Patriam ab hostium impetu strenue propugnandam accendit, quam magnorum exempla Heroum? horum vero memoriam repetit Historia atque Poësis, quae vivis coloribus depicta praeterita, ut praesentia ante oculos sistit; utriusque beneficio celebranda magnorum Principum facta ex voracissimis invidiosae vetustatis faucibus eripiuntur. Quid excellentius mente concipi potest, quam id, quod dirigit rationem, rectam monstrat voluntati viam, compescit affectus, et naturae atque civitatis leges firmat? at id Philosophia praestat. Quid homini vita sua est carius, quid jucundius sanitate? utraque tamen prorogatur et conservatur opera ad praesidio Medicinae. Quid fructuosius in republica machinarum usu, et cognitione interioris corporum mixtionis? Hanc recludit Chymia, Mechanica illas componit. Omnes circumspecta atque considerata Mathesi diriguntur; singulae ad promovendam humani generis felicitatem diversis quamvis modis, communi tamen fructu atque emolumento inserviunt. Omnes autem inusitata munificentissimae Principis nostrae liberalitate propagatae florem fructumque ferent tempore suo. Adolebunt hic jacta a Petro,



munita gratia et irrigata largitate dignae tanto Parente Filiae scientiarum semina in felicissimam segetem, cujus fertilitas per orbem terrarum exuberabit. Patefacius est largissima Augustae manu spatiosissimus in Russiam Musis introitus: ubi opibus potentes et securitate fretae, nova incrementa, novum decus, novamque sibi gloriam consequuntur, novoque splendore nitentes, praeter opinionem, in summo perfectionis fastigio constitutae, orbi terrarum spectandas sese praebebunt, et pleno suo lumine reliquam barbariei noctem ex remotissimis et vix fama notis regionibus dissipabunt. Ubi enim expeditius absolvi potest siderum et terrarum orbis scientia, quam in amplissimo Elisabetae Imperio, in quo dimidium sol peragit cursum, et luminaria singula ortum atque occasum simul oculis usurpandum exhibent? Multifaria rerum et phaenomenorum facies ubi tanta varietate ac frequentia naturae scrutatoribus occurret, quam in Russiae campis, quorum spatiosissima planities, multiplici florum varietate superbit; aut in montibus ultra nubium tractum exporrectis, opibusque refertis; sive in amnibus, ab aestuosa India ad perpetuas nives aeternamque glaciem decurrentibus; denique in variis iisque vastissimis maribus, quae plenos mirabilium Dei operum fluctus sub Elisabetae sceptro devolvunt? Quod tandem hospitium securius reperire possunt Musae, quam longe lateque patens Russiae Imperium, providentia Augustae ab armorum strepitu remotum, et invictissimo exercitu Illius praemunitum? Quam amplum beneficium ab hac Augustae munificentia universus terrarum orbis accipiet! Quam exoptatissima prosperitas vestra, Russiaci juvenes, qui tanta liberalitate Illius sustentati jucundissimis studiis operam tribuitis! considerate futuram prosperitatem vestram: animos venerabundi ad id advertite, quod Augustissima Imperatrix, erogando in vos sumptus amplissimos, clementissime jubet: Incumbite in litterarum studia: videre enim Russiacam Academiam ex civibus Meis compositam cupio; festinate ad consummandum scientiam cursum: id enim honor et emolumentum Patriae, id consilium Meorum Parentum, id voluntas Nostra requirit. Non proditae sunt litteris Majorum Meorum res gestae, nec Petri gloriosa facta pro dignitate sunt decantata: conferte omne studium ad conquirendas ingenii opes, et ad patrium sermonem excolendum; in vastissimo Imperio Nostro pretiosissimi thesauri, quos natura uberrime profert, in obscuro jacent, et peritioris manus

scrutationem opperiuntur: impendite indefessum laborem ad cognoscenda rerum naturalium arcana, atque his studiis gratiam nostram mereri contendite. Hoc clementissimo Augustae mandato accepto, pergite alacres, properate stadium laboris vestri. Vos autem, quibus ad Musarum sacra patet aditus, utilitati liberorum vestrorum prospicite; et Petri consilium, Catharinae curam, atque liberalitatem Elisabetae infructuosam vobis esse nolite. Non enim sine industria et consilio in media civitate sua serenissimi Conditores Musarum sedem positam esse voluerunt; sed ut exercentes judicia de tribunalibus, sagati de summis Petri moenibus, purpurati ex Augustissima Regia, ii, qui classes instruunt, de navium tabulatis, mercantes e foro atque portu, scientiarum et artium officinam etiam inter exequenda negotia sua haberent ante oculos, amarent atque suspicerent. Equidem pulcherrimum hoc Musarum domicilium repentino fato, quod nobis fuit summae sollicitudini, et foedissima flamma in luctuosum horrendumque spectaculum commutatum, vix sine gemitu et lacrymis praeterire, aut contueri possumus; hunc tamen doloris atque aegritudinis sensum sola Principis nostrae clementia minuit, in sola liberalitate Illius omnem spem nostram ponimus, qui compertum habemus, nullam tam atrocem calamitatem, tamque adersam fortunam contingere nobis posse, quae non magnanimitate Ejus victa, et liberalissima manu propulsata esse queat. Tam inusitata est atque inaudita beneficentia Principis nostrae! Tanta virtute ornatur Russiacum solum. Istiusmodi Principes impertitur Deus terris, cum est mortalibus propitius; tam pios atque devotos, si precibus illorum annuere, nec dona vult aspernari; tam fortes, tamque magnanimos, si hostes illorum contere atque confundere apud se statuit; tam sapientes, si prosperitatem eorum amplificare instituit; tam denique mansuetos, tam clementes, tamque liberales, si illos consolari, multiplicare atque opibus cumulare destinat. Fruere itaque tot divinis muneribus, clementissima Princeps, et beneficentissimo ingenio Tuo oblectare. Quocunque serenissimos Tuos oculos circumfers, ubique explicatas subditorum Tuorum frontes, ubique animi Tui generositate salutem consecutos, et per solam clementiam Tuam spiritum suum ducentes, ubique largissimis Tuis beneficiis ornatos atque elevatos conspicias. Tota septemtrionis regio, quamvis quolibet tempore,

praesertim tamen celeberrimo isto die, post elapsam fertilissimam aetatem, decurrente beatissimo autumno, a terra ubertate, a mari divitiis, undique felicitate Tua affluens, concordissimis feriantium populorum vocibus gloriosissime susceptum Patrium Sceptrum Tibi gratulantur, atque illos plausus, quod tunc inopinatum gaudium et ardentissimus amor tulit, creberrime repetit. Devotissimus vero amor noster et gratissimus animus quamvis nulla dicendi vi nulloque eloquio exprimi possit; verum tamen, quantum in nobis situm est, id testari muneris nostri ducimus, praesertim cum persuasum habeamus, Deo atque iis, qui vim et numen illius in terris tenent, puram devotamque mentem magis acceptam esse quam meditatam orationem.

<A. 1749>.

### Комментарий

Текст воспроизводится (с исправлением опечаток) по последнему критическому изданию: Ломоносов, Михаил Васильевич. Полное собрание сочинений. Том восьмой. Поэзия. Ораторская проза. Надписи. 1732—1764 гг. [Редакторы восьмого тома: В. В. Виноградов, А. И. Андреев, Г. П. Блок]. М.-Л.: Издательство Академии наук СССР, 1959 (Академия наук СССР). No. 155. С. 257–272.

Так как «местонахождение рукописи латинского текста неизвестно» (там же, стр. 954), текст академического издания, в свою очередь, печатался по единственному прижизненному изданию: *Diem Imperii faustissimum atque laetissimum Serenissimae et Potentissimae Principis ac Dominae Elisabetae Petri Magni Filiae, Imperatricis et Autocratoris omnium Russiarum, Academia Scientiarum solemnii conventu celebrat postridie illius diei Novembris XXVI anno MDCCXLIX. Petropoli Typis Academiae Scientiarum.*

Речь была написана в честь годовщины восшествия Императрицы Елизаветы на престол (25 ноября) в период с 7 апреля 1749 г. (получение Ломоносовым ордера Академической канцелярии о представлении похвальной речи на русском и латинском языках) по ноябрь того же года (2 ноября была выдана бумага для печатания латинской речи, а к 23 ноября она уже была отпечатана). 4 декабря того же года Григорий Николаевич Теплов сообщил в письме секретарю Академической канцелярии Иоганну-Даниилу Шумахеру, что президент Петербургской Академии Наук, граф Кирилл Григорьевич Разумовский поднёс печатный экземпляр академических речей Императрице и что панегирик Ломоносова «снискал рукоплескания Двора». Леонард Эйлер назвал латин-

ский панегирик Ломоносова образцовым в своём роде произведением (*un chef d'oeuvre dans son genre*). Русский вариант той же речи был произнесён Ломоносовым 26 ноября 1749 г. на публичной ассамблее Академии Наук и многократно издавался.

О латинском языке Ломоносова см.: Боровский, Яков Маркович. Латинский язык Ломоносова, в сб.: Ломоносов. IV. М.-Л., 1960. С. 206–218; Солопов А. И. Латинский язык в жизни и творчестве Ломоносова, в сб.: Научные доклады филологического факультета. Выпуск VII. К 300-летию М. В. Ломоносова. [Составление, общая редакция М. Л. Ремнёвой, Д. П. Ивинского]. [М.:] Изд-во Моск. ун-та, 2013. С. 16–24.

О биографии Ломоносова см.: Ломоносов. Краткий энциклопедический словарь. Редактор-составитель Э(нгель) П(етрович) Карпеев. СПб.: «Наука», 2000 (Российская Академия наук. Музей М. В. Ломоносова).

### Пояснительные замечания к латинскому тексту

solemnis = sollemnis

haeres = heres

coelum = caelum

thus = tus

promptus = promptus, comtus = comptus, consumtus = consumptus

ditio = dicio, conditio “условие (и т. п.)” = condicio

sylva = silva

seculum = saeculum

lacryma = lacrima

foemina = femina

humerus = umerus, humor = umor

solatium = solacium

arctus “тесный” = artus

nuncius = nuntius

obedio = oboedio

littus = litus

nae = ne

inclutus = inclitus (или inclutus)

succus = sucus

quum: cum

exspecto: expecto; expatior = exspatior; exto = exsto; exequor = exsequor (sed: exstirpo); adspectabilis: aspiro, aspernor

Elisabeta — уникальная форма, не характерная для западноевропейских авторов, в новое время постоянно передающих это еврейское

по происхождению имя в аспирированной форме (*Elisabetha*, реже *Elizabetha*), вслед за античными и средневековыми латинскими авторами, у которых это имя, однако, всегда несклоняемое: так, у священномученика, еп. Карфагенского Киприана († 258) впервые находим форму *Elisabeth* (*Cypr. ad Quirinum* II 8), используемую затем как в переводе Библии бл. Иеронима (*Vulg. Luc.* 1, 5; 1, 7; 1, 13 al.), так в христианской поэзии Павлина Ноланского (*Paul. Nol. carm.* 6, 29; 6, 104; 6, 139) и Ювенка (*Iuenc. euangeliorum libri* I 80; I 105), но уже у Тертуллиана (ок. 160 — после 220) впервые засвидетельствована этимологически менее правильная форма *Elizabeth* (*Tert. de anima* 26). Иероним и Августин колебались между этими двумя произносительными вариантами, иногда в пределах одного и того же произведения (по крайней мере, такой вывод следует из современных изданий: *Aug. serm.* 196 (bis); 289; 291 (ter); 370: *Elizabeth*, *serm.* 169: *Elizabeth*, *Hier. commentarii in prophetas minores: in Sophoniam*, prol.: *Elizabeth*, in *Aggaeum* 1: *Elizabeth*). По-видимому, Ломоносов счёл придыхательное написание этого слова ошибкой и руководствовался тем, что в греческом языке это распространённое имя никогда не имело аспирации, выступая обычно в виде Ἐλισάβετ (откуда церковнославянское *Елисаветъ*).

## Stephanus Javorscius<sup>1</sup>

### POSSESSORIS HORVM LIBRORVM LVCTVOSVM LIBRIS VALE

Ite meis manibus gestati saepe libelli,  
Ite meus splendor, luxque decusque meum,  
Pergite felices, alias iam pascite mentes  
Et nectar vestrum fundite iam aliis!  
Hei mihi, quod meus a vobis avulsus ocellus, 5  
Non poterit mentem plus saturare meam!  
Vos mihi dulcedo, vos mel, vos nectar eratis,  
Vobiscum, libri, vivere dulce fuit.  
Vos mihi divitiae, vos gloria magna fuistis,  
Vos paradysus amor delitiaeque meae, 10  
Vos illustrastis, vos nomina clara dedistis,  
Per vos magnatum conciliatus amor.  
At nunc fata negant vobiscum (proh dolor ingens!)  
Ducere jucundos et sine nube dies.  
Jam mihi in aeternam claudentur lumina noctem, 15  
Non jam vos manibus sollicitabo meis.  
Aeternus liber ante oculos proponitur alter,  
Quem mihi venturus vult aperire DEVS.  
Omnis in hoc sua dicta et facta volumine cernet  
Et capiet meritis praemia quisque suis. 20  
O liber, horrendus qui tunc erit ante tribunal,  
Nudatum faciens omnibus omne scelus!  
Hunc ego mente librum dum volvo, mox tremor artus  
Occupat, et cordi fixa sagitta manet.  
O DEVS, o pater, o summae charitatis abyssus, 25  
O pietatis fons, o bonitatis apex,

---

<sup>1</sup> Стефан Яворский — митрополит Рязанский и Муромский, экзарх (блюститель патриаршего престола) (1658, Явор, Русское воеводство, Речь Посполитая — 27 ноября (8 декабря) 1722, Москва).

O maris et terrae et summi moderator Olympi,  
 Qui manibus flectis frena tumentis aquae,  
 Stelliferosque poli sapienter dirigis orbis,  
 Te precor, indignus vermīs, inane, nihil: 30  
 Respice et in libro vitae mea nomina pinge  
 Sanguinē CHRISTI, qui vita salusque mea est.  
 Vos autem, mea scripta, tomique librique, valete,  
 Parta labore meo bibliotheca vale!  
 Terricolaeque omnes fratresque hominesque valete, 35  
 Tu quoque, cara parens, hospita terra, vale!  
 Suscipe maternis, peto te, complexibus artus,  
 Namque animam caelis, reddimus ossa tibi!

Прощайте, книги, вся моя краса!  
 Из рук моих в чужие перейдете;  
 Уж для других — и мед в заветном соте,  
 И ваша животворная роса.

Уж книгу ту Господь пред очеса  
 Готов явить, где ужас всякой плоти;  
 Где, праведные, мир вы обретете,  
 А грешным гнев сугубят небеса.

Обитель малую в Твоем дому —  
 Трепещет дух, к Тебе идти готовый —  
 Подай, Господь, смиренность моему.

И ты, земля, не будь ко мне суровой:  
 Когда душа пойдет на высший суд,  
 В тебе обитель кости обретут.

### Комментарий

Элегия Стефана Яворского и её перевод на русский язык печатаются по изданию: *Маслов С. И.* Библиотека Стефана Яворского. Киев, 1914. С. VI–VII.

## Gregorius Scovoroda<sup>1</sup>

### EPIGRAMMA

Ter tribus ut Muis olim Venus obvia facta est  
cum Cupidone suo, talibus alloquitur:  
Me colite, o Musae, cunctorum prima deorum  
sum: mea scepra omnes diique hominesque colunt.  
Sic Venus. At Musae: verum in nos juris habes nil,                   5  
Musae Heliconae sacrum, non tua regna colunt.

---

<sup>1</sup> Григорий Саввич Сковорода (22 ноября (3 декабря) 1722, село Чернухи, Киевская губерния — 29 октября (9 ноября) 1794, село Ивановка, Харьковское наместничество).



## Stanislaus Czernski<sup>1</sup>

### CARMEN DE DEO

Г. Р. Державин

#### Бог

Exspatiate locis, et fixi limitis expers,  
Vita, vigorque orbis pendet ab ore tuo.  
O specieque, modoque carens, unisque Triplexque!  
Aevis es senior, temporibusque prior.  
Spiritus alme viges diffuse per omnia simplex, 5  
Cujus subjungi caussa, locusque nequit;  
Quem nullum evaluit comprehendere mentis acumen,  
Numinis exsuperas ubere cuncta tuo.  
Sospite cuncta sinu gestas nutrisque fovesque,  
Quem nos terrigenae dicimus esse Deum. 10  
Mens hominis numeris stellas et tentet arenas,  
Tentet mensuris atque profunda maris;  
Ast dum Te Deus adgreditur numerisque modisque  
Te minor est numerus, Te breviorque modus;  
Ipsa Tuae lucis, Genii superi, alma propago 15  
Non capit, aeterno quae placuere Tibi.  
Mens simul ac se tollens Te conatur adire  
Scrutatum, immensi Numinis impatiens  
Illico collabens evanescitque, peritque

---

<sup>1</sup> Станислав Черский (1777—1833).

Aevis aeternis ut mora rapta levis.	20
E fundo aeterni discors emergerat aevi Aptandum formis ad tua jussa Chaos; Ast aevum aeternum praecedens tempora condis Per Temet, reperis inque capace sinu. Non alienae lucis egens sol aureus ardes	25
Aeternum, propriis ignibus atque micas. Sat fuit, ut fieret mundus, Tibi dicere: fiat, Et gaudes factis Te explicuisse novis. O Sator omnipotens mundi, rerumque repertor! Tu fueras, Tuque es, Tu quoque semper eris.	30
Complexus rerum series, longamque catenam Tu retines, firmas, cunctaque blandus alis; Principii jungis fines, aptasque peritus, Et vitae metam figere morte paras. Scintilla ut resilit trepidantis plurima flammae	35
Sic ex Te soles luce micante cadunt, Utque nivis micae rutilant, variantque colores, Dum sudo caelo saeva rigescit hiems, Ingentes sic per tractus fundoque carentes Sidera sub pedibus promicuere Tuis.	40
Stellae florentes immensa per aequora caeli Labuntur tacitae non variante via, E que sinu nitido effundunt lumina late, Jussa etenim sentit, lucida turba, Tua;	45
At seges haec crystalli flammiferique pyropi, Aethereque ardentis copia multa facis, Multiplicesque ignes, et caelis mobilis ardor, Atque polis pendens multa lucerna vigil, Lucivomique omnes Te coram denique mundi	50
Sunt veluti trepidans nox redeunte die. Mole sua exsuperans haec integra machina mundi, te coram veluti est gutta resorpta mari; Quid pars? quam laetus mortali lumine lustrō;	

Quam minimus jam sim, quamque pusillus ego!	
Si geminem numeros iterumque iterumque recurrens	55
Mundorum, mentis luxuriantis ope,	
Molis acervum hunc dum tendo Te sistere contra,	
Dumque juvat cumulos opposuisse Tibi,	
Nil nisi apex aliquis dint de molimine tanto,	
Quis sim ego compositus jam Tibi Magne? — nihil;	60
Sum nihil, ast in me tua regia dona relucent	
Indolis ingenium, Numinis atque typus,	
Parvum instarque Tui simulo tua Numina magna,	
Ut solem lymphae vitrea gutta refert;	
Sum nihil, ast spiro, ast adtollor mente per auras,	65
Et tacitis stimulis igneus astra peto.	
Percipio, meditor, dubito, discrimino, libro,	
Comparo, concludo, formo deinde ratum;	
Mens mea Te praesentit suspicione sagaci;	
Si sum ego, non dubius Te quoque quaero Deum.	70
Te manifestat opus mihi non imitabile mundi,	
Te prodit sensus corde calente tener,	
Te monstrat ratio solidis effulta repertis;	
Es Deus indubius, non ego jamque nihil;	
Pars ego naturae, atque situ spectandus honesto	75
Hinc atque hinc medium Te mihi dante locum,	
Distinguo deversus opus, rerumque catenam	
In medio pendens annulus orbe ligo;	
Ille ego, quo Genii caelestis incipit ortus,	
Per me corporeum denique claudis opus.	80
Mundorum nodus, rerumque coronis inertum,	
Conspicior surgens ultimus atque gradus;	
Separo sed medius dono gaudentia vitae	
Ingentis tenuis linea prima Dei;	
Corpore sum pulvis, sed mente sagace superbus	85
Terrificis audax impero fulminibus;	
Rex idem incedo et servus, vermisque Deusque;	

Cum sim tam mirus, tamque stupendus ego,  
 Non poteram per memet, sum mihi conscius, esse,  
 Exquo prodieram nescius ipse mei, 90  
 Auctorem te jacto mei, revocorque Creator!  
 Inter non dubius splendida facta tua,  
 Atque opus Auctori gnaro multa arte repertum  
 Arguor, et laetum me nota multa docet.  
 Fons et origo vitae, largitorque honorum! 95  
 O Rex, o animae vita vigorque meae!  
 Sic statuis sapiens aeterni codicis Auctor,  
 Ut non mortalis sub juga mortis eam,  
 Spiritus utque nitens repetam Tua tecta paterna,  
 Aeternumque aevum sic ego mortis ope. 100  
 O Ens immensum nostrae intractabile menti!  
 Abludens nimium fingitur umbra Tui!  
 Te celebrare tamen mortalis cogitur ultro,  
 Nec potis est alio Te celebrare modo,  
 Audeat ut nisi mente pia Te tendere versus 105  
 Immensis spatiis dissitus adtonitus!  
 Corde micante nisi hinc ut carpat gaudia longa,  
 Utque animo grato lacryma multa cadat.

### Комментарий

Станислав Черский (1777—1833) был брестским каноником и учителем при Виленской гимназии. Перевод печатается, с исправлением опечаток, по третьему изданию: Труды высочайше утвержденного Вольного общества любителей российской словесности. 1820 годъ. Часть IX. Санктпетербургъ, въ Медицинской Типографіи, 1820. С. 198–213. Первое издание вышло в Вильне, второе — там же в 1819 году. Известно, что сам Г. Р. Державин ознакомился с этим латинским переводом и написал Станиславу Черскому письмо (от 30 апреля 1816 г.), «исполненное благосклонности», как о том сообщает автор краткого предисловия к 3-му изданию Василий Каразин (С. 198).

## Tatiana Basiliana<sup>1</sup>

### INTERPRETAMENTA

#### Г. Р. Державин **Шуточное желание**

Si quondam lepidae queant puellae  
Prata pervolitare aperta pennis  
Turturesque simul sedere ramis, —  
Si fiant volucres? — deos rogabo,  
Totum ut me faciant, amice, ramum, 5  
Ut me frondifero sedere centum,  
Mille dein lepidae queant puellae;  
Garriantque, sonentque, pipientque,  
Propagentque genus, plicentque nidos;  
Numquam flexibilis fiam, puellas 10  
Visu perpetuo vorans amanti, —  
Ramum quem videas beatiorem?

#### Г. Р. Державин **Река времён в своём стремленьи...**

Proserpina  
Aufert fugaci temporis impetu  
Mortalia amnis gesta hominum omnia et  
Oblivionis mergit alto  
Regna duces populos hiatu.  
Si quae supersunt quomodo gratia 5  
Tubaeve vocis gratave per lyram, —  
Aeternitatis devorantur  
Turbine; fata eadem cuivis.

---

<sup>1</sup> Татьяна Вадимовна Васильева (2 июня 1942 — 6 янв. 2002, Москва).

А.С. Пушкин  
Я Вас любил

Dilexi dominam. Sanctissima amicitiarum  
Non omnis forte hunc liquit — eheu! — animum.  
Quam verum sensus dominae contingere nolim, —  
Vitarint dominam cura meusque dolor!  
Dilexi dominam nulla spe, mutus, amoris 5  
Affectus studio, nescio quid reverens.  
Dilexi dominam tam sincere, tenere tam,  
Quam dilecta alii — di facite! — esse queat.

Ф.И. Тютчев  
Silentium!

Obscura tacitus muta silentiis  
Intellecta animi cordibus intimis,  
Quae occasa aut oriunda ut  
Noctis sidera suspice!  
Quis sensus aperit? Quis capit alterum? 5  
Quo vivis, caperis turbine turgido.  
Mens mentita locuta est.  
Fontes ne peragas, tace!  
Te ipso vivere nunc incipe discere!  
Mundus totus inest pectoribus tuis, 10  
Qua mysteria sume  
Nulla luce, sono procul!

Комментарий

Данные переводы были впервые опубликованы в кн.: Подосинов, Александр Васильевич. *Lingua Latina. Введение в латинский язык и античную культуру. Часть IV. Книга 2. Хрестоматия латинских текстов. Учебное пособие для гимназий, лицеев и школ с гуманитарным профилем.* М.: Издательская группа «Прогресс» («Прогресс-Юниор»), 1995. С. 499–500. Воспроизводятся (с исправлением опечаток) с разрешения автора (беседа 27 окт. 2001 г.) и её дочери, Надежды Николаевны Трубниковой. Приведённая латинская форма имени избрана Т. В. Васильевой (в той же беседе).

CARMINA ADHVC INEDITA

1

Phoebus inclinis properare visus  
Desinit lentos agitare axis,  
Cum videt miratus avensque lucem  
ingeniumque

Sub polis Ursae gelidis tuam tu- 5  
Umque quod quondam sibi fecit ipse  
Qua domus dignissima et officina  
Qua tua summa,

Floribus ternis redimita mixtis  
Cum novenis optima feminarum 10  
Vatis ardorem nive regioque in  
Pectore fingens,

Hac colo prudentia texe fila,  
Hac fove cunas — sata Apollinis sunt,  
Militis huius medices quiete 15  
Vulnera dolci.

Quid tuae sertem diadema lauro?  
Quod amans a te cupiensque amari  
Audeo ut quaeram: me mi perita  
Parce, Piama; 20

Audeo jam te comitari velle  
Indugressam prima latinitatis,  
Ut mea fiat superaveris cum  
Non sine parte.<sup>2</sup>

IX. 1967.

<sup>2</sup> По-видимому, это стихотворение обращено к П.П. Гайденко.

## 2

Diffugere nives, redeunt jam gramina campis  
 Frondes arboribus innumerabiliter;  
 Indomita absolvens sua vincula vita resurgit  
 Omnibus in terris insuperabiliter.  
 Di magni, facite, ut redeant studia optima nobis, 5  
 Pessima diffugiant irrevocabiliter,  
 Ut dominae possim suavis libare loquelas  
 Lumina amata sequens insatiabiliter.

III-IV. 1968.

## 3

Fortunata lacus tacita alte caesia, cernunt  
 Quae dominae speciem,  
 Cuius me cupido praecusam taedia visu  
 Tristia rura tenent.  
 Quo tot magna deum nullis meritis data dona, 5  
 Quo cecidere oculis?  
 Quo manibus erepta meis vaga subfluit hora  
 Quo bona pervolitans?  
 Quo canis properat pennis immunis hirundo  
 Qua reditura die? 10  
 Non juvat angustum pectus per pabula proles, —  
 Lanigeræ pecudes,  
 Non nemora avia, non caelum, non lumina solis,  
 Quod juvat unus amor,  
 Insatiatus amor divina luce nitentis 15  
 Unus amor dominae,  
 Quam nequeam cum ego te ipsa videre me epistula quibit  
 Dicere amare tibi.

VIII. 1968.



4

Quid non fert dominae servilia debita versus  
     Immemor? Atque diu quid mea Musa tacet?  
 Omnia quaeque velim tibi dici pectore ab imo  
     Rursus muta cadunt oribus anxiferis.  
 Qua re? — nil timeo. Vereorne? — magis valet ardor.      5  
     Desunt verbane? — amor rhetora quemque facit.  
 Indictum tamen est nostrum cor, sola libido  
     Dicax. — alba manent innominata animae.  
 Non libitum? An satis est? — minimumque potest. Superavit  
     Infandum dominae nescio quid petimen.      10  
 Gallus ter cecinit cum discipulus rerogatus  
     Cunctans: captum, — inquit, — nescio quem ducitis.

1969.

Carmina gratulatoria

1

Haec tibi quo attrita est mediae tuae semita vitae  
     Carmina natali mane venire velim.  
 Sit tua tarda dies nec munera matutinae  
     Postera quae tristis subtrahere hora queat:  
 Semina quae sulcis injeceris optima luce      5  
     Viderit inclinem spica matura diem;  
 Aulis quasque tuis expulserat alba capellae  
     Vespertina domos ubera lacte ferant.  
 At quae stella maris cum sole immerserat undis,  
     Insuper alto stet nox modo deciderit.      10  
 Te, precor, invictum lacebris lyncisque lupaeque  
     Hac saeva in silva fugerit ipse leo.  
 Quid superest? Aveas, reverentia pascua parcas.  
     Scande viamque tuam Mercurius foveat.

10. XII. 1967.

## 2

Quis potis est dignas laudes gratasque agere illi  
     Divino festis moribus ingenio?  
 Non ego. Sed pleno de pectore perfugit ardor  
     Interdictus amor carmina suppeditat.  
 In tacita vocis caligine lumina servans 5  
     Laurus cum stupeat immineantque nives,  
 Lampada postremam retinens procede viator  
     Aetate infessis aut stadiis pedibus.  
 Et nocte obtrita ductos in luce serena  
     Signis, prime, tuis di facite ut videas. 10

23. IX. 1968.

## 3

Exigit assueto domini natalis honore  
 Ad pia sacra manus  
 Haec nobis lux est quae si non orta fuisset  
 Nescio quo gradimur.  
 Umbras conglomerant tempestates hiemales 5  
 Avia perficiunt.  
 Fortunate senex, cuius matura senectus  
 Nulla semilia fert!  
 Ab decimo sextum lustravit tempora lustrum  
 Splendida canities, 10  
 Annorum series animae sententiam acutant  
 Concelebrant animum.  
 Non consanguineis solum tua festa beata  
 Non modo discipulis.  
 Quem non horret Musa nec oderunt Gratiae quem<sup>3</sup> 15  
 Mecum hodie cecinit.  
 Quidnam inimicorum possunt tibi inania vocum,  
 Fama maligna potest?  
 Nil, ut opinor. Ave. Sapiencia corda fovere  
 Perge. Fac ut valeas.<sup>4</sup> 20

23. IX. 1973

<sup>3</sup> Вариант: Quem non horret lux non oderuntve Camenae.

<sup>4</sup> Вариант: Avia nunc peragrans viridandi flore coronam / Temporibus capias.

4

Autumnalia nunc redeunt jam lucida festa.  
 Optime Natalis, justa feras domino.  
 Dona salutis, vim, mentem, virtutem, opus auge —  
 — Dilectissime tu magne magister, ave!

23. IX. 1976

5

Accipe natali festivo munera festa  
 Inter multa meum ne tibi adire nefas.  
 Corde diu per te jam recto multa tenere  
 Exacta ignoscas me monumenta fui.  
 Ut desint vires reprimatque angustia rerum, 5  
 Ut sim fessa via, signa secuta tui.  
 Nulla optata mihi merces a te nisi posta —  
 Desperata tamen quae fieri mea sit,  
 Heu! haud immerito! — laudatio dulcis amata,  
 Vix quodque ausa loqui, candida cura fui. 10  
 Per tenebras vitae, maesto cum frigore captus  
 Collabefit animus, — sint mea fata tui!  
 Nunc, cum festa dies celebranda tibi que fuisque,  
 Gaudia concipiam, sint tibi vota mei.  
 Rex benedicte, vale! Rector faustissime, salve! 15  
 Induperator, ave! Stent mihi regna tui!

22. XI. 1976.

6

Immaturas (heu!) hiemes mihi detulit illa  
 Fortunata dies — fulva dies donum  
 Natalis. Capiant festivas tempora sertas  
 Arae tura, manus cum tabulis calamos.  
 Quo nequeunt voces attingere, epistula paula 5  
 Missa salutatum perveniat properans,  
 Quaeque loqui nequeant tibi munde pudentia verba,  
 Linguarum impatiens versus inire potest.  
 Versus amore satus, rationis vincula liber  
 Despiciens, solae servus amicitiae, 10

Tura tuorum da flagrantia turibulorum,  
 Ut possim domino carmina corde cani,  
 Me ne despiciat dominus meus atque magister,  
 Innexus sertis, pectore quas serui.

23. IX. 1977.

## Varia

## 1

“Ecquid ubi e ponto nova venit epistula palles  
 Et tibi sollicita solvitur illa manu?” —  
 Haec versus fuerant primordia cognita Musa,  
 Unde Latina mihi nota elegiaeque erat.  
 Tangebant, animum capiebant tristia verba. 5  
 “Sollicita”, — repeto, — “solvitur”, — interea.  
 Nunc vero ex gelido pelago modo epistula venit  
 Solvitur illa meis sollicitis manibus.  
 Quid mihi fert sulcus viridans impressus aratro  
 Albis stricto arvis? Quae mihi messis erit? 10  
 Anxia perscissum peragro grave mente tuenti  
 Metam apud extremum spiritus adducitur,  
 Ponunturque metus onus aufertur, mihi pectus  
 Nuper vastatum gratia dulce gravat.  
 Immortale deum. Domine, o faustum mihi munus 15  
 Regnum magnanimum, mite tuum regimen!  
 Immeritumst! — Verum meritum se dicere possit  
 Quisnam quidque boni? Gratiam agam. Valeas.

1969.

## 2

O quarto ab decimo lustro illustrate magister,  
 Accipe tam magno carmina paula die.  
 Nam veluti caecam lucem sentimus in ore,  
 Quam mundo immenso nescia signa cient,  
 Sic etsi ignaros tua pascunt aurea dicta, 5  
 Quid felicius his? Magne magister, ave.

28. V. 1967.

In cunabula

Alma dedere tuae dominae, cunabula, dona  
 Virgine cum triviva Musa, Minerva, Venus.  
 Exempta es — domina verum modo rursus adulta  
 Moenera percipiunt debita grata deae.  
 Amplectebaris vatis vocem, sapientis 5  
 Rerum avidam mentem feminea specie.  
 Invida capimur, - quam sunt tua fata beata  
 Appetimus cupide: nostra fiant hodie.

28. X. 1973.

Carmen saeculare

Qualis femineo corolla flore  
 Et quantum est hominum venustiorum  
 Cuius hic opera reconseratur?  
 Tua, maxime? Turba classicorum  
 Natalisque tui, benigne Sergi, 5  
 Grata gratiam agit aveque dicit.  
 O natum bene! O diem beatam!  
 Tantum tantula cordis intulisti,  
 Doctas delicias gravemque mentem  
 Copiamque operum peroptimorum. 10  
 Salve nec minimo magister aevo,  
 Sed quid suavius elegantiusve est  
 Salve nec animo senex minore.  
 Felix cum domina bona atque natis  
 Pastor discipulis tuis paterque 15  
 Plus uno maneat, amice, saeclo.

18. V. 1967.

## Andreas Rossius<sup>5</sup>

### VALDEMARI LVSCINIANI CARMEN IN LATINVM TRANSLATVM<sup>6</sup>

В. С. Соловьёв

#### **Милый друг, иль ты не видишь...**

Quaecumque subter lumina uenerint  
